BARNABÆ BRISSONII
REGII CONSISTORII CONSILIARII, AMPLISSIMIQVE SENATVS Parisiensis Præsidis.

OPERA VARIA:

MVLTO QVAM ANTEHAC emendatiora & tertia amplius parte auctiora.

Quorum Catalogum sequens pagina indicat.

Cum locupletissimis Indicibus.



PARISIIS,
Apud BARTHOLOMÆVM MACÆVM sub scuto Britanniæ in monte D. Hilarij.

CIƆ IƆCVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Catalogus operum quæ in hoc volumine continentur.

RENATO DAILLONIO EPISCOPO LVCIONENSI B. Brissonius S. D.

Magnam omnino Iuris ciuilis scientia rerum veterum memoriam desiderat, nec nisi ab eo, qui totius antiqtitatis animo perceptam cognitionem habeat, dignè ac meretur, explicari potest. In quo demonstrando si longiori oratione vtar, tibi tuiq; similibus, quibus idem mecum probari scio, videbor iure minimè dubia laborare. Tantum dicam, qui contrà sentiunt, ignorare eos, quibus ex fontibus ius ciuile haustum sit; quod si, vti est, ex populi Rom. legibus institutisq; descriptum fateantur, hoc quoque concedant necesse est, ei qui in Iureconsultorum libris non dicam cum voluptate, sed & cum fructu versari volet, totum rerum Romanarum statum tenendum esse. Quarum ignoratione cum peccari persæpe, multaq; in occulto latere cogitarem, mihi animum ad scribendum appellenti, visum est ab hac potissimum parte initium ducere. Itaque selectos quosdam auctorum nostrorum locos, quorum ex antiquitate interpretatio peteretur, in libellum contuli, eumq; de amicorum sententia in manus hominum venire passus sum, vt hoc veluti προοιμίῳ, interim dum serium aliquod & legitimum carmen meditor, à litterarũ studiosis gratiam inirem. Tibi verò vni ex omnibus potissimum primas hasce nostras prolusiones inscripsi, qui ita sacras litteras colis, vt à ciuilibus studiis non abhorreas. In quibus cùm te accuratam à primis ætatis temporibus operam posuisse ipse optimus testis sim, isto tui nominis præsidio aduersus maleuolorũ obtrectationes, quibus sermonis materiam argumenti nouitas dabit libellum nostrum muniendum putaui. Quem etiamnum quando iacta alea est meq; adeò totum tibi commendo atq; trado. Leue quidem, sed tibi non ingratum futurum munus, si eo apud te loco fuerit, quo esse solent, quæ ab optima voluntate proficiscuntur. Vale.

HENRY par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, A noz amez & feaux Conseillers les gens tenans noz Cours de Parlemens, Preuost de Paris, Baillys de Rouën, Seneschaux de Lion, Tholose, Bordeaux & Poictou & leurs Lieutenans, Et à tous noz autres Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut: Barthelemy Macé Libraire iuré en nostre vniuersité de Paris. Nous a faict remonstrer qu'il a recouuert de messieurs les heritiers de feu le President Brisson, vn liure contenant diuers traités intitulé *Barnabæ Brissony in regis Consistorio Consiliary & in Supremo Parisiensi Præsidis, Selectarum ex iure Ciuili antiquitatum. De ritu nuptiarum. De iure Connubiorum ad legem Iuliã de Adulterÿs, De solutionibus & liberationibus. Commentarius ad l. dominico de Spectaculis C. Theod. & l. Omnes dies Cod. de ferÿs. Parerga, De regio Persarũ principatu.* Lequel liure il desireroit volontiers imprimer & mettre en lumiere: Mais d'autant qu'il luy couste ja de grands fraiz & coustera encores, tant pour la coppie que pour l'impression d'iceluy liure: il doute & craint qu'apres auoir exposé & mis en vente iceluy liure, qu'autres Imprimeurs & Libraires de Paris, Lyon, Rouën, ou autres villes de cestuy nostre Royaume le voulussent semblablement imprimer, ou suscitassent les Imprimeurs de Geneue ou autres estrangers à ce faire, & par ce moyen frustrer ledit exposant de ses fraiz & mises, & rendre ses peines, diligences & trauail inutiles, & luy faire receuoir perte & dommage, pour à quoy remedier & afin que ledit Macé trauaille pour le bien public, ayant fourny à ce qui estoit necessaire pour aduancer ledit labeur & recouurir ladite copie, se ressente du fruict de son labeur. Nous a tres-humblement requis luy permettre faire imprimer ledit liure, & interdire à tous Libraires & Imprimeurs d'imprimer ou faire imprimer tant dehors que dedans cestuy nostre Royaume, ny susciter semblablement aucuns estrangers à ce faire. NOVS à ces causes, desirant la promotiõ & aduancement de la chose publique en nostre Royaume, & ne voulant permettre que ledit suppliant soit frustré de ses fraiz, peines & trauail, Vous mandons & enioignons par ces presentes, que vous ayez à permettre comme nous permettons audit Macé, qu'il puisse luy seul imprimer ou faire imprimer, vendre ou distribuer ledit liure selon l'ordre & methode dudit Brisson en telle forme & charactere que bon luy semblera, faisant tres-expresses inhibitions & deffenses à tous Imprimeurs, Libraires tant de Paris que de Lyon, Rouën, & estrangers de quelque nation qu'ils puissent estre traficans en nostre Royaume pays & terre de nostre obeyssance & Seigneurie, & autres personnes de quelque estat & condition qu'ils soient de les imprimer, ou faire imprimer, vendre ny debiter, contrefaire ny alterer, soient par

SCÆVOLÆ SAMMARTHANI DE BARNABA BRISSONIO.

ELOGIVM.

FAdem Brissonio quæ & Andreæ Tiraquello patria fuit Fontenaium in Pictonibus nobilium ingeniorum ferax. Is patre vsus honesto & diuite, illius oppidi Proprætore, hoc assecutus est vt prospero studiorum cursu ad summam & inusitatam multiplicis doctrinæ laudem breui tempore perueniret. Quæ non quidem in otiosis Musarum vmbraculis, sed in publica hominum luce clarissimè omnium emicuit. Vix enim adolescentiam egressus in celeberrimis aduocatorum subselliis apud summã Galliæ curiam singulare sui dedit specimen: cùm genere dicendi vteretur copioso quidem illo, neque tamen affectato, sed perspicuo facilique & in modũ lenissimi amnis nitidè, puritérque fluente. Quo in munere longius progressus tantam sui nominis famam excitauit, vt à summo virtutum admiratore principe Henrico Tertio primùm fisci Patronus, indéque sacri Consistorij Assessor & postremo amplissimi ordinis Præses non longo interuallo renũciaretur. Equidem à Rege ipso audiui cùm diceret nullum in orbe Christiano principem esse, qui haberet quem Brissonio suo in literarum gloria opponeret. Ita que & eum bis in Angliam de maximis re-

bus legatum misit & cum sua maiorúmque edicta constitutionésque in vnum colligere, iurísque Gallici Codicem suo nomine inscribendum componere meditaretur, vnum maximè inter togatos idoneum iudicauit, cui grauem istum laborem committeret, quem tamen is intra paucos menses admirabili celeritate perfecit. Scripsit præterea de verborum quæ ad ius pertinent significatione ingés & eruditum opus, itemque de formulis & solennibus populi Romani verbis alterum, ac opuscula plurima quorum partem edidit, partem indigna morte præuentus imperfecta reliquit. Cùm enim æstuante nouis tumultibus Gallia vrbs ipsa Parisiorum à Rege defecisset, nec facinorosi ex infima plebis fæce homines, quorum in illa rerum perturbatione præcipua erat authoritas, possent adduci vt crederent tantum virum, iuris & legum antistitem grauissimũ tam iniustæ causæ verè & ex animo fauere, illũ furiali quodam ausu abreptum & multa nequidquam deprecantem ipso in carcere, indicta caussa, crudelissimè oppressere. Quod immane scelus & à multis seculis inauditum ne ipsi quidem factionis principes inultum reliquere.

PAPIRI MASSONI DE BARNABA BRISSONIO PRESIDE IN SENATV PARISIENSI.

Viderit effigiem quisquis, Brissonius illi
Picto notus erit, Papiniane tuus.
Si fata exitium vtrique immatura dedere.
Pœnituit facti iam satis ipsa sui.

TYPOGRAPHVS LECTORI S.P.D.

ETsi varia, candide Lector, B. Brissonij opera typis excussa sint, certißima testimonia singularis ipsius doctrinæ; tamē mors inexpectata nec vnquā bonis omnibus non dolenda, meliorē eorum partem informem nobis subripuit, eripuissetq; totam, nisi meliore quodam fato in eius bibliotheca, quam mihi comparaui, reperissem huc & illuc iacentia quædam opera, colligiq; consilio & hortatu Clarissimi viri Cl. Christiani Q. Sept. Florentis F. curassem. Quæ quidem partim ante hanc diem numquam edita, partim editis multò locupletiora & auctiora in publicum iam prodire volui, non tantum vt tanto labore ac studio vtaris, fruaris, sed etiam vt memoria Ampliss. viri nunquam non colenda post mortem magis magisq; reflorescat atq; virescat. His igitur conatibus nostris pro beneuolentia tua faue, hosq; labores nostros æqui boniq; consulendo, quantum in te est remunerare. Bene Vale.



Barnabæ Brissonii
in senatu Parisiensi præsidis
Icon
Quid mirum, si exlex Brissonem turba trucidat?
Non potuit iuris gloria, iure mori.

Thomas de Leu fecit. N. Pindar P.

extraits ou abregé l'ordre & methode dudit Brisson, sans le congé & exprés consentement dudit Macé, ny mesme susciter les Geneuois ou autres estrangers à ce faire durant le temps de dix ans, à conter du iour que ledit liure sera acheué d'imprimer, sur peine de quatre cens escus d'amende, laquelle moitié nous appartiendra, & l'autre moitié audit suppliant, & sur peine aussi de confiscation des exemplaires qui serōt faits ou imprimez par autres, & sans le consentement dudit Macé, mesme si aucuns Imprimeurs ou Libraires de nostre Royaume, ou estrāgers trafiquans en icelluy, ou autre personne de quelque estat qu'il soit est trouué saisi d'aucun exemplaire dudit liure, autre que de ceux qui seront imprimez par ledit exposant. Voulons & nous plaist qu'il soit procedé contre luy particulierement, & soit condamné en pareille amende que s'il l'auoit imprimé ou fait imprimer. De ce faire vous donnons pouuoir, authorité, Commission & commandement special, & de proceder à l'encontre de ceux qui contreuiendront par toutes voyes deuës & accoustumées, & par les peines susdites, nonobstāt oppositions ou appellations quelconques: pour lesquelles sans preiudice d'icelles ne voulons estre differé. Et pour ce que de ces presentes ledit exposant pourroit auoir affaire en plusieurs & diuers endroicts: NOVS voulons qu'au vidimus d'icelle faict sous le seel Royal, ou par l'vn de noz amez & feaux Conseillers, Notaires & Secretaires, foy soit adioustée comme au present original. Et si voulons & mandons, que mettant par bref le contenu du present Priuilege au commencement ou à la fin de chacun desdits Liures. que cela ait forme de signification, tout ainsi que si l'original estoit particulierement signifié à chacun, & que cela soit de tel effect & vertu, comme si lesdictes lettres leur auoient expressement & particulierement esté mōstrées & signifiées, car tel est nostre plaisir: Donné à Paris le 22. Ianuier 1606. & de nostre Regne le dixseptiesme.

De par le Roy en son Conseil, Signé, PERROCHEL.
Et seellé du grand seel de cire jaulne.

Lesdites lettres patentes du Roy ont esté enterinées & verifiées en la Cour de Parlement pour iouyr par le suppliant du contenu en icelles, le 7. de Feburier 1606.

Signé, VOYSIN.

Et aussi au Chastelet de Paris le dix-huictiesme de Feburier 1606.

Signé, MIRON & le IAY.

ELENCHVS CAPITVM

Selectarum Antiquitatum.

*

LIBRI PRIMI.

L I B. I I.

L I B. I I I.

L I B. I I I I.

SELECTARVM EX IVRE CIVILI ANTIQVITATVM

LIBER PRIMVS.

De modo & altitudine antiquorum ædificiorum, parietumq; crassitudine.

CAP. I.

IMPERATORES Seuerus & Antoninus rescripsere, ædificare cuiq; in suo, & ei balneum superponere licere, dum ne vsitatum altitudinis modum excedat. l. j. C. de ædific. priu. Est & apud Vlp. scriptũ, si quid contra leges, edictáue principum, quæ ad modum ædificiorum facta sunt, fiat, nuntiari nouum opus posse. l. j. § . nuntiatio. D. de oper. no. nunt. Ex quo perspicue apparet, fuisse aliquem Romæ ædificiorum altitudini præscriptum modum: qui qualis ante Imperatorum tempora fuerit, certò definire non possum. « Tanta, inquit, Seneca lib. 3. controu. altitudo est ædificiorũ, « tantæq; viarum angustiæ. Cui etiam conuenit Tacitus lib. 15. « Erant, inquiens, qui crederent veterem illam formam salu- « britati magis cond[illegible] quoniam [illegible]ustiæ itinerũ & alti- « tudo tectorum [illegible] le soli[illegible] perrumperentur. Habitam cer[illegible] Rutil[illegible] & [illegible]n Re- publ. oratic[illegible] peri[illegible] tin- telli[illegible] auct[illegible] utus. [illegible]orum [illegible] illud [illegible] sep[illegible] olli nõ [illegible]odu[illegible] tum, cũ

ædificiorum crebris ruinis, quibus vrbis aspectus deformabatur subuenire vellet, quemadmodum à Strabon. lib. v. Geograph. ita scribitur: πρὸς δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν οἰκοδομημάτων καθελὼν, καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ό τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις. Eaque ratione credo, cum principem integram illam Rutilij, cuius paulo antè memini, de modo ædificiorum orationem in Senatu recitasse: quo magis ipsa. enim Tranquilli cap. 89. verba ponam, persuaderet eam rem non à se primò animaduersam, sed antiquis iam tunc curæ fuisse. Secutus aliquo interuallo Augustum Nero, post repressum illud, quo bona pars vrbis conflagrauit, incendium, etiam ędificiorum altitudinem cohibuit, spatiáq; dimensus est, vt Corn. Tacit. lib. xv. narrat. Sed quem in ea re modum seruarit, nec Tacitus aperit, nec ego hariolari possũ. Certè Iuuenalis suo tempore pręaltam fuisse ædificiorum extructionem his versibus demonstrat Sat. 3. lib. I.

Quod spatium tectis sublimibus, vnde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa, & curta fenestris
Vasa cadunt, quanto percussum pondere signent,
Et lædant silicem--

Sed postea tamen hanc ædificiorum altitudinem cohibitam fuisse ostendit Tacitus. lib. xv. in eo loco quem mox proximo capite proferemus. Vtut sit, Augusti constitutionem postea Traianum renouasse & ad pedes sexaginta reduxisse Sex. Aurelius auctor est. Quibus omnibus; ait, Traianus per exquisita remedia plurimum opitulatus est; statuens ne domorum altitudo lx. superaret pedes ob ruinas faciles & sumptus, si quando talia contingerent, exitiosos. Atque hæc quidem altitudo hisce temporibus haberetur, vt est re vera, permaxima. Sed animaduertendum est, quod Vitruuius lib. ij. cap. ix. refert, in maiestate vrbis & ciuium infinita frequẽtia innumeras habitationes explicari opus fuisse: & cum tantam multitudinem ad habitandum in vrbe area plana recipere non posset, ad auxilium altitudinis ædificiorum rem ipsam coëgisse deuenire, vt necessario pilis lapideis mœnianisq; ac contignationibus alto spatio cœnacula multiplicarentur. Qua de re Seneca lib. iij. Controuersiar. conqueritur. Tanta, inquit, altitudo est ædificiorum, tantæq; viarum

angustię, vt neque aduersus ignem præsidium, neque ex ruinis vllum vllam in partem effugium sit. Sane Solinus de Taprobanæ incolis scribit, ea modice ab humo tollere. Adde Plinium lib. 3. cap. v. de Romæ ambitu & spatio & viarum mensura quam altitudinem ait colligere paulò ampliùs, lxx. M. passuûm. Quod si quis altitudinem tectorum addat, dignam profectò æstimationem cõcipiat fateaturque nullius vrbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari. Cõstantinopoli vero licuit etiam centum pedes in altitudinem ædificia promouere quemadmodum apparet ex constitutione græca Zenonis ad Amantium præfectum vrbi. Hæc de ædium altitudine. Proximum est, vt de crassitudine parietum adscribam, quod Vitruuius lib. ij. legibus publicis vetitum fuisse commemorat, maiores crassitudines quàm sesquipedales loco communi cõstitui: ceteros autem parietes, ne spatia angustiora fierent, eadem crassitudine collocari. Latericios verò nisi displinthij, aut trisplinthij fuissent, sesquipedali crassitudine non potuisse plus quàm vnam sustinere contignationem. Confirmat hoc & Plinius lib. xxxv. cap xiij. his verbis: Romæ, ait, non fiunt talia ædificia, quia sesquipedalis paries, non plus quàm vnam cõtignationem tolerat: cautùmq; est, ne communis crassior fiat, nec intergerinorum ratio patitur. Itaq; crassior fieri non poterat paries communis; poterat angustior: Nam l. Si fratres §. Item Mela. D. pro socio. narratur vicinos inter se semipedem contulisse ad parietem concraticium ædificandum vt onera vtriusq; sustineret.

De legitimo inter vicinas ædes viasque interiici solito spatio.

Cap. II.

SVPERIORI sermoni subijcere placet de vicinarum inter se ædium interuallo nondum patefactum xij. Tabularum caput. Est autem à Festo Pompeio lib. j. & ab Isidoro lib. xv. Etymol. cap. vlt. traditum inter vicinorum ædificia spatium in latitudinem duos pedes & semissem patens ad circũeundi facultatem intermitti consueuisse: quod in Antoni-

ni & Veri rescripto in l. Imperatores 13. D. de seruitut. vrb. significari Iacobus Cuiacius vir Iurisprudentiæ in antiquam dignitatem restituendæ natus lib. j. Obseruatio. adnotauit. Hoc verò spatium Ambitum antiquitus appellatum ijdem auctores scribunt. Quod vocabulum ex xij. Tab. manare ex eo dilucide colligitur, quod Varro lib. iiij. de lingua Lat. xij. Tab. interpretes ambitum parietum, circuitum interpretari, refert: antiquo planè loquendi more, quo, Am, pro, Circum, vsurpatum alijs exemplis ex eodem Varrone, Festo, & Macrobio, vt ceteros minorum gentium taceam, planum fieri potest. Et ita ambitum accipiendum constat apud Cicceron. in Topic. cum ait: Vt si ita respondeas, quoniã P. Scæuola id solum esse ambitus ædium dixerit, quantum parietis communis tegendi causa tectum proijceretur. Et apud Vitruuiũ lib. j. cap. j. in illo loco. Iura quoque nota habeat oportet ea, quæ necessaria sunt ædificijs communibus parietum ad ambitum. Sic & inscriptione Romæ in Sadoleti hortis effossa.

INTER DVOS.
PARIETES
AMBITVS PRIVAT.
FLAVI SABINI.

Iam duos pedes cum semisse, sestertium pedem in xij. Tab. appellari, Volusius Metia. in lib. de Asse, scribit, cuius verba in vulgatis codicibus corrupta facilè quisque sic emendãda esse videt. Lex etiam xij. Tab. argumento est, in qua duo pedes & semis sestertius pes vocatur: quo verbo dupõdium & semissem veteres intellexisse, Plinius quoq; lib. xxiij. cap. iij. cum Festo lib. xvij. tradit: eadẽ forma qua & Trientertium & Besalterũ dixisse eos idem Festus auctor est. Subductis itaque omnibus, ambitum xij. Tab. circumscriptum fuisse relinquitur, verbis, vt mihi quidem verisimile fit, ita conceptis, AMBITVS PARIETVM SESTERTIVS PES ESTO. Ceterùm vt recentiorum Imperatorum ad ædificiorum ambitum pertinentes constitutiones non prętermittam, ab horreis publicis priuatorum ædes centum pedibus, à ceteris verò publicis ædificiis xv. pedum spatio remoueri Constantino primũ placuit. l. iiij. & l. xlvj. de oper. publ. in C. Th. Theodosio, deinde satis visum etiam ab horreis publicis priuatorum

ędificia xv. pedum interuallo disiungi. l. si cui. l. mœniana. C. de ædif. priuat. qui & hoc in d. l. mœniana. constituit, vt priuatorum inter se mœniana, decem pedes, à publicis verò operibus, xv. distent. Quam, vt opinor, legem Gundebaldus rex in legibus Burgundionum intellexit, cùm ita cauet: De seruitute luminis vel aëris similiter constitutum, vt inter priuatorum fabricas decem pedes, inter publicas, xv. dimittantur secundum legem Theodosij. Porrò hic mos ædificiorum interuallo quodam non contingenter extruendorum Neronis tantum temporibus propter frequentis incendij metum nimirum post prodigiosum illud vrbis quod sub illo contigit incendium. Sic enim scribit Tacitus lib. xv. annal. de illo incendio agens, Ceterum, inquit, vrbis quæ domus supererant, non vt post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erectæ, sed dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spatiis, cohibita ædificiorum altitudine ac patefactis areis additisq; porticibus quæ frontem insularum protegerent. Et paulò post, Iam aqua priuatorum licentia intercepta quo largior & publicis locis flueret, custodes & subsidia reprimēdis ignibus in propatulo quisq; haberet: nec communione parietum, sed propriis quæq; muris ambirentur. Ea ex vtilitate accepta decorem quoq; nouæ vrbi attulere, erant tamen qui crederent veterem illam formā salubritati magis conduxisse, quoniam angustiæ itinerum & altitudo tectorum non perinde solis vapores perrumperentur. at nunc patulam latitudinem & nulla vmbra defensam grauiore æstu ardescere. qua de re vide & Sueto. in Nero. cap. xvj. & Plutar. in Capitolino. Idem certè probat Leo Imp. constitutio. Græca vltima.

Explicatur quod Vlpianus scribit, multæ animaduersionem hodie pecuniariam esse: & de modo æstimationeq; multarum.

CAP. III.

MVLTAE & pœnæ differentias enumerans Vlpianus, multam definit esse specialis peccati coërcitionē: cuius animaduersio hodie pecuniaria fit. l. aliud est fraus. D. de verb. sign. Quem locum

accuratiùs intuens, deprehendi non temere verbum. Hodie, adiectum esse, propterea quòd alia olim fuerit multæ animaduersio. Nec enim pecuniaria ac nummaria primùm, sed vt Isidor ex lib. ij. M. Tullij de Repub. refert, olim multa ouium & boum erat, quòd tunc esset res in pecore. Id à Plinio quoq; lib. xviij. cap. iij. & lib. xxxiij. cap. 1. traditur inquit, ne mulctam legum antiquarum pecore constare etiã Romæ. confirmatúrq; ex eo quod Plutarch. in Publicola, cõtumacibus qui Consulibus non paruissent, constitutam fuisse narrat ἀπειθείας ζημίαν, βοῶν πέντε καὶ δυοῖν προβάτοιν ἀξίαν. Qua de re quæ plenius ex bonorum auctorum libris didici, proferre non pigebit. Primum erit quod ex Varrone Gellius lib. xj. cap. j. commemorat his verbis concipi solitam multæ dictionem: *Marco Terentio, quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego vnum ouem multam dico.* Quæ verba & apud Nonium Marc. in verbo, Ouis, sed cum vitio, quod ex Gellio facilè tolli posit, referuntur. Atq; ea ita sollemnia verba erant, vt non aliter iusta multæ dictio haberetur, nisi in qua ouis masculino genere efferretur. Etiam illud si bubus & ouibus simul multa dicebatur, obseruari solitum Plinius in eo, de quo proximè memini loco, docet, vt ne bouem prius quàm ouem nominaret, qui indiceret multam quanquam in infra scripto Dionysij loco hoc non fuerit obseruatum, nisi vitium transpositionis in illo loco potius librarij quam auctoris ipsius esse dixeris. Ceterùm quod ad modum multarum attinet, ex Sex. Pomp. lib. xj. & lib. xiiij. & Gellio notandum est, non licuisse quondam pluribus quàm xxx. bubus & duabus ouibus quemquam multare: legéq; id ita Titum Menenium Lanatum, & Pub. Sextium Capitolinum Consules sanxisse. Quod & ab eodem auctore lib. xiij. traditũ fuisse conijcio, cuius verba hodie concisa nullum bonum sensum habent, & ex alijs suprà scriptis locis supplenda sunt. Est & in hac parte non leue mendum apud Dionys. Halicar. lib. x. transpositione verborum commissum. Sic enim vulgo scriptum est, τὸ μὲν τοι ζήμιωμα οὐχ ἐπ' αὐτοῖς ζημιοῦσιν ὑπόδον εἶναι δοκεῖ, κατέλιπον, ἀλλ' αὐτοὶ τὴν ἀξίαν ὁρίσαι μέγιστον ἀποδείξαντες ὅρον ζημίας δύο βόας καὶ τριάκοντα πρόβατα; cum tamen δύο πρόβατα καὶ τριάκοντα βόας scribendum esse ne-

mo non ex Festo, cui Gellius Varronis auctoritate nixus consentit, intelligat. Planè Festo Halicarnasseus in Consulum nomine, qui multarum modum statuerũt, refragatur: & fortè, Græcus homo (Latini enim eiusq; probatissimi auctoris apud me pluris est fides) in fraudem ex eo impulsus est, quòd illi, quibus legem de modo multarum tribuit, Cõsules legem de æstimatione mulctarum tulisse dicantur, biennióq; post eos Coss. id est, anno ab Vrbe condita circiter trecentesimo, vt Capitolinus lapis probat, P. Sestius Q. F. Vibi. N. Capitolinus, & Tit. Menenius Lanatus Consulatum gessere. Pecoralis verò multæ æstimatio postquam signato ære populus vti cœpit, facta est, oue denis assibus, boue, centenis æstimato, quẽadmodum Fest. lib. j. & lib. xj. & lib. xiij. & lib. xiiij. tradit. Plutarch. in Valerio Public. ἦν δὲ τιμὴ μὲν προβάτου ὀβολοὶ δέκα, βοὸς δὲ ἑκατὸν, οὔπω νομίσμασι χρωμένων πολλῷ τότε ῥωμαίων, ἀλλὰ προβατείαις καὶ κτηνοτροφίαις εὐθηνούντων. Constat autem huiusmodi æstimationem lege factam. De legis nomine video dubitari. Eam Festus Tarpeiam, Gellius Ateriam vocat. Non dubito autem, quin à Spurio Tarpeio Montanea & A. Aterio Fontilena rogata sit, quos simul Consulatum gessisse præter Liuiũ lib. iij. Capitolinus lapis testatur: Quamquam, vt hoc obiter attingam, in alterius ex Coss. nomine edendo mira sit inter antiquos auctores scripturæ vitio, vt existimo, dissensio. Nam quem Liuius & Plinius lib. vij. cap. xxviij. A. Æternium nominant, eundem Gellius lib. ij. cap. xj. & Solinus Collectaneor. cap. vj. A. Thermum appellãt. Halicarnasseus autem A. Terminium, hoc est τερμίνιον. Cassiodorus, Aternium Diodorus Ἀπέριον, vel potius ἀστέριον corruptè. Quæ omnia nomina falsa & mendosa sunt, eorúmq; loco verum & germanum Aterij nomen ex Capitolino lapide, quo certius monumentum nullum habemus, reponendum est. Vnde legem Ateriam dixit Gellius: qui ea ratione in concordiam cum Festo adducitur, quando ab vtroque ex his Consulibus, à quibus rogata est, legem nomen accipere nihil prohibeat. Plus negotij Liuius facessit, qui legem de multarum æstimatione à L. Papyrio Crasso, & L. Iulio Coss. latam lib. iiij. tradit, nisi renouatores fuisse eos, non primos auctores dixerimus. Post eas certè leges suprema mulcta trium millium &

ELENCHVS CAPITVM

Selectarum Antiquitatum.

*

LIBRI PRIMI.

LIB. IIII.

B. BRISSONII SELECTARVM EX IVRE CIVILI ANTIQVITATVM

LIBER PRIMVS.

De modo & altitudine antiquorum ædificiorum, parietumq́; craſſitudine.

CAP. I.

IMPERATORES Seuerus & Antoninus reſcripſere, ædificare cuiq; in ſuo, & ei balneum ſuperponere licere, dum ne vſitatum altitudinis modum excedat. l. j. C. de ædific. priu. Eſt & apud Vlp. ſcriptū, ſi quid contra leges, edictáue principum, quæ ad modum ædificiorum facta ſunt, fiat, nuntiari nouum opus poſſe. l. j. §. nuntiatio. D. de oper. no. nunt. Ex quo perſpicue apparet, fuiſſe aliquem Romæ ædificiorum altitudini præſcriptum modum: qui qualis ante Imperatorum tempora fuerit, certò definire non poſſum. Tanta, inquit, Seneca lib. 3. controu. altitudo eſt ædificiorū, tantæq; viarum anguſtiæ. Cui etiam conuenit Tacitus lib. 15. Erant, inquiens, qui crederent veterem illam formam ſalubritati magis conduxiſſe, quoniam anguſtiæ itinerū & altitudo tectorum non perinde ſolis vapore perrumperentur. Habitam certè de ea re à Rutilio florenti & libera tum Rep. orationem fuiſſe reperio: qua quid contineretur, vt intelligerem, nondum auctorum lectione ſum conſecutus. Quod ſi de Imperatorum conſtitutionibus quæratur, illud compertum habeo ſeptuaginta pedibus altius ædes tolli nō licuiſſe, eumq; modum ab Auguſto primum conſtitutum, cū

ædificiorum crebris ruinis, quibus vrbis aspectus deformabatur subuenire vellet, quemadmodum à Strabon. lib. v. Geograph. ita scribitur: πρὸς δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν οἰκοδομημάτων καθελὼν, καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ό τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις. Eaque ratione credo, cum principem integram illam Rutilij, cuius paulo antè memini, de modo ædificiorum orationem in Senatu recitasse: quo magis ipsa. enim Tranquilli cap. 89. verba ponam, persuaderet eam rem non à se primò animaduersam, sed antiquis iam tunc curæ fuisse. Secutus aliquo interuallo Augustum Nero, post repressum illud, quo bona pars vrbis conflagrauit, incendium, etiam ędificiorum altitudinem cohibuit, spatiáq; dimensus est, vt Corn. Tacit. lib. xv. narrat. Sed quem in ea re modum seruarit, nec Tacitus aperit, nec ego hariolari possũ. Certè Iuuenalis suo tempore pręaltam fuisse ædificiorum extructionem his versibus demonstrat Sat. 3. lib. 1.

Quod spatium tectis sublimibus, vnde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa, & curta fenestris
Vasa cadunt, quanto percussum pondere signent,
Et lædant silicem--

Sed postea tamen hanc ædificiorum altitudinem cohibitam fuisse ostendit Tacitus. lib. xv. in eo loco quem mox proximo capite proferemus. Vtut sit, Augusti constitutionem postea Traianum renouasse & ad pedes sexaginta reduxisse Sex. Aurelius auctor est. Quibus omnibus; ait, Traianus per exquisita remedia plurimum opitulatus est; statuens ne domorum altitudo lx. superaret pedes ob ruinas faciles & sumptus, si quando talia contingerent, exitiosos. Atque hæc quidem altitudo hisce temporibus haberetur, vt est re vera, permaxima. Sed animaduertendum est, quod Vitruuius lib. ij. cap. ix. refert, in maiestate vrbis & ciuium infinita frequẽtia innumeras habitationes explicari opus fuisse: & cum tantam multitudinem ad habitandum in vrbe area plana recipere non posset, ad auxilium altitudinis ædificiorum rem ipsam coëgisse deuenire, vt necessario pilis lapideis mœnianisq; ac contignationibus alto spatio cœnacula multiplicarentur. Qua de re Seneca lib. iij. Controuersiaz. conqueritur. Tanta, inquit, altitudo est ædificiorum, tantæq; viarum

angustię, vt neque aduersus ignem præsidium, neque ex ruinis vllum vllam in partem effugium sit. Sane Solinus de Taprobanæ incolis scribit, ea modice ab humo tollere. Adde Plinium lib. 3. cap. v. de Romæ ambitu & spatio & viarum mensura quam altitudinem ait colligere paulò amplius, lxx. M. passuûm. Quod si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem cõcipiat fateaturque nullius vrbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari. Cõstantinopoli vero licuit etiam centum pedes in altitudinem ædificia promouere quemadmodum apparet ex constitutione græca Zenonis ad Amantium præfectum vrbi. Hæc de ædium altitudine. Proximum est, vt de crassitudine parietum adscribam, quod Vitruuius lib. ij. legibus publicis vetitum fuisse commemorat, maiores crassitudines quàm sesquipedales loco communi cõstitui: ceteros autem parietes, ne spatia angustiora fierent, eadem crassitudine collocari. Latericios verò nisi displinthij, aut trisplinthij fuissent, sesquipedali crassitudine non potuisse plus quàm vnam sustinere contignationem. Confirmat hoc & Plinius lib. xxxv. cap xiij. his verbis: Romæ, ait, non fiunt talia ædificia, quia sesquipedalis paries, non plus quàm vnam cõtignationem tolerat: cautùmq; est, ne communis crassior fiat, nec intergerinorum ratio patitur. Itaq; crassior fieri non poterat paries communis; poterat angustior: Nam l. Si fratres §. Item Mela. D. pro socio. narratur vicinos inter se semipedem contulisse ad parietem concraticium ædificandum vt onera vtriusq; sustineret.

De legitimo inter vicinas ædes viasque interijci solito spatio.

CAP. II.

SVPERIORI sermoni subijcere placet de vicinarum inter se ædium interuallo nondum patefactum xij. Tabularum caput. Est autem à Festo Pompeio lib. j. & ab Isidoro lib xv. Etymol. cap. vlt. traditum inter vicinorum ædificia spatium in latitudinem duos pedes & semissem patens ad circũeundi facultatem intermitti consueuisse: quod in Antoni-

ni & Veri rescripto in l. Imperatores 13. D. de seruitut. vrb. significari Iacobus Cuiacius vir Iurisprudentiæ in antiquam dignitatem restituendæ natus lib. j. Obseruatio. adnotauit. Hoc verò spatium Ambitum antiquitus appellatum ijdem auctores scribunt. Quod vocabulum ex xij. Tab. manare ex eo dilucide colligitur, quod Varro lib. iiij. de lingua Lat. xij. Tab. interpretes ambitum parietum, circuitum interpretari, refert: antiquo planè loquendi more, quo, Am, pro, Circum, vsurpatum alijs exemplis ex eodem Varrone, Festo, & Macrobio, vt ceteros minorum gentium taceam, planum fieri potest. Et ita ambitum accipiendum constat apud Ciceron. in Topic. cum ait: Vt si ita respondeas, quoniã P. Scæuola id solum esse ambitus ædium dixerit, quantum parietis communis tegendi causa tectum proijceretur. Et apud Vitruuiũ lib. j. cap. j. in illo loco. Iura quoque nota habeat oportet ea, quæ necessaria sunt ædificijs communibus parietum ad ambitum. Sic & inscriptione Romæ in Sadoleti hortis effossa.

INTER DVOS.
PARIETES
AMBITVS PRIVAT.
FLAVI SABINI.

Iam duos pedes cum semisse, sestertium pedem in xij. Tab. appellari, Volusius Metia. in lib. de Asse, scribit, cuius verba in vulgatis codicibus corrupta facilè quisque sic emendãda esse videt. Lex etiam xij. Tab. argumento est, in qua duo pedes & semis sestertius pes vocatur: quo verbo dupõdium & semissem veteres intellexisse, Plinius quoq; lib. xxiij. cap. iij. cum Festo lib. xvij. tradit: eadẽ forma qua & Trientertium & Besalterũ dixisse eos idem Festus auctor est. Subductis itaque omnibus, ambitum xij. Tab. circumscriptum fuisse relinquitur, verbis, vt mihi quidem verisimile fit, ita conceptis, AMBITVS PARIETVM SESTERTIVS PES ESTO. Ceterùm vt recentiorum Imperatorum ad ædificiorum ambitum pertinentes constitutiones non prętermittam, ab horreis publicis priuatorum ædes centum pedibus, à ceteris verò publicis ædificiis xv. pedum spatio remoueri Constantino primũ placuit. l. iiij. & l. xlvj. de oper. publ. in C. Th. Theodosio, deinde satis visum etiam ab horreis publicis priuatorum

ędificia xv. pedum interuallo disiungi. l. si cui. l. mœniana. C. de ædif. priuat. qui & hoc in d. l. mœniana. constituit, vt priuatorum inter se mœniana, decem pedes, à publicis verò operibus, xv. distent. Quam, vt opinor, legem Gundebaldus rex in legibus Burgundionum intellexit, cùm ita cauet: De seruitute luminis vel aëris similiter constitutum, vt inter priuatorum fabricas decem pedes, inter publicas, xv. dimittantur secundum legem Theodosij. Porrò hic mos ædificiorum interuallo quodam non contingenter extruendorum Neronis tantum temporibus propter frequentis incendij metum nimirum post prodigiosum illud vrbis quod sub illo contigit incendium. Sic enim scribit Tacitus lib. xv. annal. de illo incendio agens, Ceterum, inquit, vrbis quæ domus supererant, non vt post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erectæ, sed dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spatiis, cohibita ædificiorum altitudine ac patefactis areis additisq; porticibus quæ frontem insularum protegerent. Et paulò post, Iam aqua priuatorum licentia intercepta quo largior & publicis locis flueret, custodes & subsidia reprimẽdis ignibus in propatulo quisq; haberet: nec communione parietum, sed propriis quæq; muris ambirentur. Ea ex vtilitate accepta decorem quoq; nouæ vrbi attulere, erant tamen qui crederent veterem illam formã salubritati magis conduxisse, quoniam angustiæ itinerum & altitudo tectorum non perinde solis vapores perrumperentur. at nunc patulam latitudinem & nulla vmbra defensam grauiore æstu ardescere. qua de re vide & Sueto. in Nero. cap. xvj. & Plutar. in Capitolino. Idem certè probat Leo Imp. constitutio. Græca vltima.

Explicatur quod Vlpianus scribit, multæ animaduersionem hodie pecuniariam esse: & de modo æstimationeq; multarum.

CAP. III.

MVLTAE & pœnæ differentias enumerans Vlpianus, multam definit esse specialis peccati coërcitionẽ: cuius animaduersio hodie pecuniaria fit. l. aliud est fraus. D. de verb. sign. Quem locum

accuratiùs intuens, deprehendi non temere verbum. Hodie, adiectum esse, propterea quòd alia olim fuerit multæ animaduersio. Nec enim pecuniaria ac nummaria primùm, sed vt Isidor ex lib. ij. M. Tullij de Repub. refert, olim multa ouium & boum erat, quòd tunc esset res in pecore. Id à Plinio quoq; lib. xviij cap. iij. & lib. xxxiij. cap. I. traditur inquit, ne mulctam legum antiquarum pecore constare etiã Romæ. confirmatúrq; ex eo quod Plutarch. in Publicola, cõtumacibus qui Consulibus non paruissent, constitutam fuisse narrat ἀπειθείας ζημίαν, βοῦν πέντε καὶ δυοῖν προβάτοιν ἀξίαν. Qua de re quæ plenius ex bonorum auctorum libris didici, proferre non pigebit. Primum erit quod ex Varrone Gellius lib. xj. cap. j. commemorat his verbis concipi solitam multæ dictionem: *Marco Terentio, quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego vnum ouem multam dico.* Quæ verba & apud Nonium Marc. in verbo, Ouis, sed cum vitio, quod ex Gellio facilè tolli posit, referuntur. Atq; ea ita sollemnia verba erant, vt non aliter iusta multæ dictio haberetur, nisi in qua ouis masculino genere efferretur. Etiam illud si bubus & ouibus simul multa dicebatur, obseruari solitum Plinius in eo, de quo proximè memini loco, docet, vt ne bouem prius quàm ouem nominaret, qui indiceret multam quanquam in infra scripto Dionysij loco hoc non fuerit obseruatum, nisi vitium transpositionis in illo loco potius librarij quam auctoris ipsius esse dixeris. Ceterum quod ad modum multarum attinet, ex Sex. Pomp. lib. xj. & lib. xiij. & Gellio notandum est, non licuisse quondam pluribus quàm xxx. bubus & duabus ouibus quemquam multare: legéq; id ita Titum Menenium Lanatum, & Pub. Sextium Capitolinum Consules sanxisse. Quod & ab eodem auctore lib. xiij. traditũ fuisse conijcio, cuius verba hodie concisa nullum bonum sensum habent, & ex alijs suprà scriptis locis supplenda sunt. Est & in hac parte non leue mendum apud Dionys. Halicar. lib. x. transpositione verborum commissum. Sic enim vulgo scriptum est, τὸ μὲν τοι ζήμιωμα οὐχ ἐπ' αὐτοῖς ζημιοῦσιν ὑπόζυγον εἶναι δοκεῖ, κατέλιπον, ἀλλ' αὐτοὶ τὴν ἀξίαν ὥρισαν μέγιστον ἀποδείξαντες ὅρον ζημίας δύο βόας καὶ τριάκοντα πρόβατα, cum tamen δύο πρόβατα καὶ τριάκοντα βόας scribendum esse ne-

mo non ex Festo, cui Gellius Varronis auctoritate nixus consentit, intelligat. Planè Festo Halicarnasseus in Consulum nomine, qui multarum modum statuerũt, refragatur: & fortè, Græcus homo (Latini enim eiusq; probatissimi auctoris apud me pluris est fides) in fraudem ex eo impulsus est, quòd illi, quibus legem de modo multarum tribuit, Cõsules legem de æstimatione multarum tulisse dicantur, bienniòq; post eos Coss. id est, anno ab Vrbe condita circiter trecentesimo, vt Capitolinus lapis probat, P. Sestius Q.F. Vibi. N. Capitolinus, & Tit. Menenius Lanatus Consulatum gessere. Pecoralis verò multæ æstimatio postquam signato ære populus vti cœpit, facta est, oue denis assibus, boue, centenis æstimato, quemadmodum Fest. lib. j. & lib. xj. & lib. xiij. & lib. xiiij. tradit. Plutarch. in Valerio Public. ἦν δὲ τιμὴ μὲν προβατίου ὄβολοι δέκα, βοὸς δὲ ἑκατὸν, οὔπω νομίσμασι χρωμένων πολλῷ τότε ῥωμαίων, ἀλλὰ προβατείαις καὶ κτηνοτροφίαις εὐθηνούντων. Constat autem huiusmodi æstimationem lege factam. De legis nomine video dubitari. Eam Festus Tarpeiam, Gellius Ateriam vocat. Non dubito autem, quin à Spurio Tarpeio Montanea & A. Aterio Fontilena rogata sit, quos simul Consulatum gessisse preter Liuiũ lib. iij. Capitolinus lapis testatur: Quamquam, vt hoc obiter attingam, in alterius ex Coss. nomine edendo mira sit inter antiquos auctores scripturæ vitio, vt existimo, dissensio. Nam quem Liuius & Plinius lib. vij. cap. xxviij. A. Æternium nominant, eundem Gellius lib. ij. cap. xj. & Solinus Collectaneor. cap. vj. A. Thermum appellãt. Halicarnasseus autem A. Terminium, hoc est τερμίνιον. Cassiodorus, Aternium Diodorus Ατέριον, vel potius ἀστέριον corruptè. Quæ omnia nomina falsa & mendosa sunt, eorúmq; loco verum & germanum Aterij nomen ex Capitolino lapide, quo certius monumentum nullum habemus, reponendum est. Vnde legem Ateriam dixit Gellius: qui ea ratione in concordiam cum Festo adducitur, quando ab vtroque ex his Consulibus, à quibus rogata est, legem nomen accipere nihil prohibeat. Plus negotij Liuius facessit, qui legem de multarum æstimatione à L. Papyrio Crasso, & L. Iulio Coss. latam lib. iiij. tradit, nisi renouatores fuisse eos, non primos auctores dixerimus. Post eas certè leges suprema multa trium millium &

meretricio diuersum fuisse indicant, vt vel sola vestis differētia à meretricibus honestæ matresfa. discerni ac dinosci possent. Id quod ad Vlp. sententiam accommodatissimè Tertull. ostendit in lib. de Cultu femin. his verbis. Aut quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ, quas si quæ leges à matronis & matronalibus decoramentis coërcebant, iam certè seculi improbitas cottidie insurgens honestissimis quibusq; feminis vsque ad errorem dinoscendi coæquat. Idem in lib. de Pallio. Conuerte, ait, ad feminas: habes spectare quod Cæcinna Seuerus grauiter Senatui impressit. Matronæ sine stola in publico. Denique Lentuli Auguris consultis quæ ita se exauctorasset, pro stupro erat pœna, quandoquidem indices custodesq; dignitatis habitus velut lenocinij factitandi impedimenta sedulo quædam desuefecerant. Sed iam ex antiquitatis veluti parietinis eruere tentemus quod propositis locis aliquid lucis adferat. Inuenio autem honestas mulieres stola & palla indutas fuisse, quemadmodum Non. Marc. in cap. de genere vestim. scribit: & Vlpian. significat in l. vestis. §. muliebria. D. de auro arg. legat. Vnde matronalem stolam Valer. lib. vj. cap. j. dixit, & stolas atque ornatus matronales Vitru. lib. j. cap. j. coniunxit. Sed & Festus lib. xj. matronas tradit appellatas eas ferè, quibus stolas habendi ius esset. Nam meretricibus turpibusq; & inhonestis mulieribus stolarum vsum legibus interdictum fuisse ex eo Tertulliani, quem initio adscripsi, loco conijci potest. Sed & ex hoc Iuuen. loco è Sat. ij.

-- est mœcha tabella,
Damnetur etiam si vis Carphinia! talem
Non sumet damnata togam ----

Quamobrem Martialis lib. j. inquit,

Quis Floralia vestit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Erat verò stola oblonga & ad talos vsque demittebatur, vt Horat. lib. j. Sermon. sat. ij. indicat. Cuius etiam interpres Acron illo verborum circuitu, quæ eodem loco leguntur,

-- sunt qui nolunt tetigisse nisi illas,
Quarum subsuta talos tegit instita veste.

matronas designari scribit, quæ stola vtebantur ad imos pedes demissa, cuius infimam partem instita ambiebat. Ouid. lib.2. de arte amandi.

Luditur in nostris instita nulla iocis.

Atque in hocipso vel maximum inter muliebres stolas & viriles togas discrimen intercedebat, quas prioribus oris infra genua paulum, posterioribus vsque ad medios poplites peruenisse Quintilian. lib. xj. cap. vlti. declarat, illud quoque oratori cauendum monens, ne veste longiore vtatur, quoniã mulierum sit longa veste vti. Et hoc mollitiei crimine notabatur, Seneca lib. ij. Controuers. omnia à te vitia, quod vnguento coma madet, tuum est, quod laxior vsque in pedes tunica demittitur, tuum est. Præterea vittis crines honestæ matresfam. contra atque meretrices, coërcebant, vt à Seruio in vij. Æneid. notatur. Plautus Milite glor. Act. iij. Sc. j. de meretrice.

Eam huc ornatam adducas matronarum modo,
Capite compto, crines vittasque habeat.

Hinc Ouid. lib. j. de Arte amand.

Este procul vittæ tenues insigne pudoris,
Quæque tegis medios instita longa pedes.

Et alio eiusdem libri loco.

Ecquid ab hac omnes rigidè summouimus arte,
Quas stola contingi, sumptaque vitta vetat?

Idem lib. iij. de Ponto, epist. ad Maximum.

Scripsimus hæc illis, quarum nec vitta ligatos
Attingit crines, nec stola longa pedes.

Quod ille ad Tibulli imitationem effinxisse videtur, cuius hęc sunt verba lib. j. Eleg. vj.

Sit modo casta doce, quamquam nec vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Igitur vittis crines redimitæ, vestéque talari indutæ honestæ mulieres in publicum procedebant. Succinctioribus contrà, & quæ ad viriles proximè accederent, meretrices vtebantur: quemadmodum Nonius eodem capite sentit. Quem vestium matronalium & meretriciarum differentiam non obscurè Horat. lib. j. Sermo. sat ij. expressit, cùm propter demissam ad talos vestem in matronis facilè crurum vitia tegi ait,

quæ in meretricibus latere non poſſunt ob veſtium breuitatem. Idem & Iuuenalis ſatyr. vj. comprobat, eloquentiam matronis non eſſe adfectandam inquiens, meretricibusq; relinquendam, quæ crure tenus medio tunicas ſuccingant. Iſidorus autem lib.xix.Etymol.cap.xxv.meretriciæ veſtis ſignū fuiſſe pallium lineum, quo & matronæ in adulterio deprehenſæ inducrentur, ſcribit. Quod vt ego alijs defectus teſtimonijs pro certo adfirmare non poſſum, ita exploratum habeo, adulterij damnatas veſtem mutaſſe, depoſitaq; ſtola togam, vt à matronis diſcernerentur, ſumpſiſſe. Hoc me Acron in illius Horatiani verſus interpretatione docuit, quo matronæ, id eſt honeſtæ mulieri togata, id eſt impudica opponitur. Verſus ita habet:

-- quid inter --

Eſt in matrona, ancilla, peccéſue togata?

Vnde Iuuenalis adulteram perſtringens, ſat. ij.

Non ſumet, ait, *damnata togam.*

Clariùs hoc Martialis duobus locis demonſtrat. Vnus eſt lib. 2. Epigr.

Coccina famoſæ donas & ianthina mœchæ.

Vis dare quæ meruit munera? mitte togam.

Alter eſt lib.x.in hæc verba:

Thetin viderat in toga ſpadonem:

Damnatum Numa dixit eſſe mœcham.

Hoc amplius, vt ceteras matronalis meretriciiq; ornatus differentias perſequar, ſellis lecticiſq; honeſtiores matronæ geſtabantur; quarum vſum probroſis feminis à Domitiano interdictum Tranquillus narrat. Dio. lib. lviij. περίεργόν τι ἄρα ὅτι Αὔγουστος, καὶ ὁ Τιβέριος, ἄλλοι τέ τινες ἐν σκιμποδίοις ὁποίοις αἱ γυναῖκες καὶ ἔτι νῦν νομίζουσιν, ἔστιν ὅτε ἐφέροντο. Idem lib. lvij. καὶ σκιμποδίῳ καταστέγῳ ὁποίῳ αἱ τῶν βουλευτῶν γυναῖκες χρῶνται, ἐς τὴν γερουσίαν ἐσεκόμισε. Iſidor. lib. xx. ethymologiarum cap. xij. Pilenta vel petorita contecta fuiſſe quatuor rotarum vehicula ſcribit, quibus niſi caſtæ matronæ vti non poterant ſicut nec vittis. Seneca in lib. de Remed. fortuit. Quam in patente ſtola circumlatam per vrbem populus ab omni parte æquè vt maritus inſpexerit. Apul. lib. xj. de Aſino aur. Vidi & vrſam manſuem, cultu matronali ſella vehebatur. Accedat etiam

in argumentum l. item legato. D. de leg. 3. Sed enim lapsis ad mollitiem moribus, de prisca pudoris & modestiæ magistra seueritate multum consuetudo deflexit. Iam Tertullia. in lib. de pallio. pessum ire pudicitiam conquerebatur, quòd stolis sellisq; cieratis in publico mulieres versarentur, quasi in semetipsas lenocinantes, quo facilius de plano conueniri possent. Idemq; in Apologetico queritur nullum iam inter matronas & prostibulas de habitu discrimen relictum. Versa etiã tandem est in fastum, quæ pro pudicitiæ velamento concessa lectica fuerat. Hîc, ne ceterarum quoque gentium laudabilia instituta, quorum nobis ad imitandum exempla proponi vtile est, prætereantur, admonendi sumus Spartę solis meretricibus floridas vestes & mundum aureum, vt Clemens Alex. lib. iiij. Pædag. auctor est, gestare licuisse. In matronis id vitio datum. Floridas planè vestes etiam Atheniensium legibus fuisse meretricibus, quò à reliquis feminis dinoscerentur attributas, Suidas in verbo ἑταίρας indicat. Macrob. in somn. Scip. cap. ij. Viso sibi, ipsas Eleusinas Deas habitu meretricio ante apertum lupanar prostãtes. Verum vt ad Vlpian. tandem aliquando redeam, iniuriarum postulari posse non videtur, qui meretricia veste indutas matronas blando sermone adtemptauit, libidinísue causa adsectatus est, quippe iusto errore lapsus, cuius ipsæ iniuriam passæ mulieres, causam præbuere, quæ se cum eiusmodi ornatu contra ciuitatis morem publico committere non debuerunt. Nec valde absimilis, & ex eodem ferè fonte ducta illa quæstio est, quam Quintilia. lib. vij. cap. iij. proponit, an qui in lupanari cum aliena vxore fuerit deprehensus, adulterij teneatur. Nam & hic iusti erroris excusatione adulterij crimen deprecari potest. Sed & huc valde pertinet elegans Ausonij epigramma,

Delia, miramur: & est mirabile: quod tam
Dissimiles estis, tuq;, sororq; tua.
Hæc habitu casto, cùm non sit, casta videtur:
Tu, præter cultum, nil meretricis habes.

De vetusto bonorum, liberorumq; profitendorum more.

CAP. V.

PROFESSIONVM duo in libris nostris genera memorantur, quæ nobis initio huius sermonis, vitandæ confusionis causa distinguenda sunt. Aliæ enim Natales, quas παιδογραφίας vocat Modestin. aliæ Censuales professiones appellantur, l. statum. C. de fide instrum. l. vlt. C. sine censu vel reliq. Illis natos sibi liberos apud acta parentes profitebantur: Si quidem ætas probari dicitur ἐκ τῶν παιδογραφιῶν l. ij. de excusat. siue ex tabulis professionum l. j. C. si minor. se maior dixer. his censum, patrimoniumq; edebant. atq; etiam natiuitates infantium profitebantur apposito die & Consule. De priore specie accipiendæ sunt. l. tum ætate xiij. l. etiam. xvj. & l. Imperatores xix. §. j. D. de probatio. l. non nudis. C. eod. titul. l. nec omissa. l. parentes. l. interrogatam. l. liberos. C. de liber. cau. l. neq; professio C. de testamentis. l. j. C. si minor se maior. Vti etiam accipe Tabulas ad natam filiam pertinētes in l. Si vicinus. C. de nuptijs. Ad quod pertinet & illud quod à Probo Imp. dicitur neq; matrimoniales neq; natales tabulas ad matrimonium pertinere l. si vicinis. C. de nupt. dicebantur enim etiam matrimoniales & nuptiales tabulæ: atq; ita sępe vocat Augustin. li. de morib. Manich. cap. xviij. lib. iii. contra Iulianum Pelag. lib. i. de nupt. & concup. & sermone 214. Ex eoq; vetere liberorum profitendorum more ductum est, quod Scęuola in l. Imperatores §. i. D. de probatio. refert, mulierem grauidam repudiatam filium absente marito vt spurium in actis professam esse. Huiusmodi verò professiones à Marco Antonino Philosopho primùm institutas Iul. Capitolinus, ita scribit. Inter hæc liberales causas ita muniuit, vt primus " iuberet apud præfectos ærarij Saturni vnumquemq; ciuium " natos sibi liberos profiteri intra diem tricesimum nomine " imposito. Per prouincias tabulariorum publicorum vsum " instituit, apud quos de originibus idem fieret, quod Romæ " apud præfectos ærarij: vt si forte aliquis in prouincia natus, " causam liberalem diceret, testationes inde ferret. Nec aliò "

pertinet mentio instrumentorum status & ingenuitatis in l. 3. §. finge. de carbon. edicto & l. 2. in fin. si libert. ingen. esse dicat. Quamquam etiam ante Marci ætatem clarorum virorum ortus in acta publica relatos ex Sueton. in Tiber. cap. v. & in Calig. cap. viij. intelligimus. Sed & huiusmodi professionum speciem quandam Seruius Tullius præmonstrauerat, qui in singulorum liberorum recens natorum capita aliquid Iunonis Lucinæ templo inferri, patresq; in censu habendo, non facultates modò, sed suum quoque & vxoris & liberorum nomen, ætatemq; profiteri instituit: quemadmodum Halicarnass. lib. iiij. auctor est. quod vel maximè post leges Iulias & Papias obseruatum fuit, ob eorum qui liberos haberent commoda & certorum pœnas. Ex Antonini verò constitutione apud præfectum ærarij fieri, actisq; adscribi liberorum professiones consueuisse idem ipse Capitolinus in
„ Gordian. indicat. Iam illud, inquit, satis constat, quòd filium
„ Gordianum nomine Antonini & signo illustrauit, cùm apud
„ præfectum ærarij more Roma. professus filium publicis actis nomen eius insereret. Apuleius Apolog. ij. Pater eius natam sibi filiam more ceterorum professus est. Tabulæ eius partim ærario publico, partim domo adseruantur. Cui adde quod Seruius in illud Vergil. ij. Georgic.

-- Nec insanum populi tabularia vidit,

in templo Saturni (quod ærarij custodiæ adtributum, & vt Plutarch. ἐν Αἰτίοις ait, φυλακτήριον τῶν συμβολαίων erat) solita reponi acta scribit, quæ parentes liberis susceptis faciebant. Ex Iuuenal. satyr. ix.

Tollis enim, & libris (al. *titulis*) *actorum spargere gaudes*
Argumenta viri: foribus suspende coronas,
Iam pater es ----

Acta enim, libros illos & tabellas vocat in quibus liberorum nomina scribebant parentes, quarum exemplar & priuatim penes se retinebant, & aliud etiam publicè asseruari curabant, notato die & Consule: & de illis quidem priuatim asseruatis tabulis intelligenda videtur l. vi. C. de fide instrum. Apuleius qui sub Antoninis floruit, apolog. ii. Pater eius natam sibi filiam more cæterorum professus est. tabulæ eius partim tabulario publico, partim domo adseruantur

quę tibi ob os obiiciuntur. porrige Æmiliano tabulas istas, lignum cōsideret, signa quę impressa sunt recognoscat, Cōsules legat, annos computet, quos sexaginta mulieri adsignabat, probet quinq; è quinquaginta. Ex quo loco hæc simul intelligimus nomina liberorum à parentibus in tabulas publicas redigi solere, & quædam etiam eodem tenore priuatas domi conscribi & custodiri, signis aliquot testium cum consulum nomine impositis eo fere modo qui in tabulis testamentariis ligneis cęterisq; obseruari solebat. Quod & aperte indicat Tertull. lib. v. aduersus Marcionem, Edas, inquit velim nobis quo symbolo susceperis apostolum Paulū, quis illum tituli charactere percusserit, quis tranſmiserit tibi, quis imposuerit vt possis eum constanter exponere ne illius probetur qui omnia apostolatus eius instrumēta protulerit: ipse se, inquit, apostolum est professus, & quidem non ab hominibus nec per hominem, sed per Iesum Christum. Plane profiteri potest semetipsumquiuis: Verum professio eius alterius auctoritate conficitur, alius scribit, alius subscribit, alius obsignat, alius actis refert. Cęterum quod Capitolinus scribit M. Antoninū instituisse vnumquemq; ciuium natos sibi liberos profiteri in qua diem trigesimum nomine imposito, sciendum est Plutarch. scribere apud Romanos pueris multo citius nomina imposita fuisse nempe feminis octauo die, masculis vero nono à natiuitatis die. Atque harum professionum tabulis ætates probabantur vt l. 1. C. si minor se maior. dix. indicat Apuleius etiam in supra citato loco. Pudentillæ annos hinc inde computat, & ex tali professione natali probat minorem natu eam quàm dicebatur. Venio nunc ad censuales professiones, quæ Romæ iam inde à Seruij Tulli temporibus singulis lustris siue singulo quinquennio fiebant. Vnoquoq; ciue Romano apud censores in campo Martio declarante & profitente quātum in bonis haberet. quo pertinere videtur l. quæ quisq; 64. de adq. rer. dom. nec vero facultates solum sed & nomen eius qui censuum profitebatur, deferebatur in censum, & in tabulis censualibus perscribebatur. Vnde censu manumitti, & censu fidei manumissio dicebatur cum lustrali censu Romæ iussu dominorum inter ciues Romanos censum profite-

bantur manumissi auctore Vlpiano. vel vt Boethius definit cum consentiente vel iubente domino nomen in censum deferebant. De his mentio habetur in l. vlt. §. si autem aliquis. D. de muncrib. & honor. & l. censualis. C. de donatio. l. vlt. C. sine censu vel reliq. & apud Sicul. Flacc. in lib. de Condicio. agr. & Hygen. in lib. de Limitib. agror. non vno loco. Earum verò forma aliquatenus exprimitur in l. forma censuali. D. de censib. Ad quam alludens Apuleius Apolog.
» j. Quòd si, inquit, hæc exempla nihili putas, ac me non ad
» causam agendam, verùm ad censum differendum vocasti, ne
» quid tu rerum mearum nescias, si tamen nescis, profiteor mi-
» hi & fratri meo relictum à patre H-S vicies, & quæ sequun-
» tur. In censum porrò vnà cum fortunis familiæ quisq; suæ capita deferebat. Erat enim cẽsus καὶ τῶν οὐσιῶν καὶ τῶν ἀνθρώπων ἀπογραφή. Etiam eorum qui censebantur, ætas adscribebatur, adeo vt ex censualibus tabulis ætatum nonnunquam probationes peterentur. Plinius deniq; lib. vij. ex censu longissima quorumdam vitæ spatia exscripta profert. Atq; hoc modo Augusti edicto totus orbis Romanus paulo ante Christi natiuitatem descriptus, eiq; censui agendo in Iudæa Quirinus, vel, vt alij appellãt, Cyrenius præfuisse dicitur. Quod à Beato Luca Euangelij sui secundo cap. & à Iosippo lib. xviij. Antiquit. Iudaic. & à Suida in verbo ἀπογραφὴ relatum est. Vnde Tertullian. lib. iiij. aduersus Marcio. Et ta-
» men, ait, quomodo in Synagogã potuit admitti tam repenti-
» nus, tam ignotus, cuius nemo adhuc certus de tribu, de po-
» pulo, de domo, de censu denique Augusti, quem testem fi-
» delissimum dominicæ natiuitatis Romana archiua custo-
» diunt. Et Iustinus Martyr Apologij. pro Christian. Christum in Bethleem natum esse dicens ὡς καὶ μαθεῖν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν τῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ὑμετέρου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου. Ea propter Iulianus Apostata vt Cyrillus lib. v. aduersus eum scribit, Christianis obijciebat quasi probri loco Christum albo Cæsaris adscriptum quasi subditum, quippe quòd vna cum patre & matre sub extremo censu fuisset. Ceterùm prisci illius professionum natalium moris exemplum quoddam in Gallia optimus princeps Franciscus constitutione anno M. D. XXXIX. edita rettulit.

Quorsum

Quorſum Paulus lanionis inſtrumento trutinam contineri dixit. CAP. VI.

MIRANTVR nonnulli in lanionis iſtrumēto pondera trutinasq; à Paulo poni in l. cum de lanionis D. de inſtru. & inſtr. leg. ignorantes nimirum olim carnem pondere veniſſe, vt & in aliquibus Galliæ partibus ad hunc diem manſit: ideoq; lanionibus neceſſarias ad eam appendendam trutinas fuiſſe. Quod Lamprid. in Alexand. perſpicuè oſtendit: Cùm edulitatem, ait, populus Rom. ab eo peteret, non quidem edulitatem propoſuit, ſed iuſsit, ne quis ſuminatam occideret, ne quis lactentem, ne quis vaccam, ne quis damalionem: Tantumq; intra biennium vel prope annum porcinæ carnis fuit & bubulæ, vt cùm fuiſſet octo minutalis libra, ad duos vnumq; vtriuſque carnis libra redigeretur. Hoc idem apud Græcos factitatum Plut. lib. ij. Sympoſiac cap. vlt. indicat: ἡ δὲ, inquit, εἰς μερίδας αὐτὴ χρεωδαισία τὴν κοινωνίαν ἀναιροῦσα πολλὰ δεῖπνα ποιεῖ, καὶ πολλοὺς δειπνίζοντας, οὐδένα δὲ σύνδειπνον οὐδενὸς ὅταν ὥσπερ ἀπὸ κρεωπωλικῆς τραπέζης σταθμῷ λαβὼν ἕκαστος μοῖραν ἑαυτῷ πρόθηται. Atque vt cetera omnia omittam, bellè hunc locum illuſtrabit promptum ex antiquis monumentis Edictum, quod Romæ extat in hæc verba:

RATIO DOCVIT VTILITATE SVADENTE, CONSVETVDINE DIMICANDI SVMMOTA, SVB EXAGIO POTIVS PECORA VENDERE, QVAM DIGITIS CONCLVDENTIBVS TRADERE ET APPENSO PECORE, CAPITE, PEDIBVS ET SEVO, LACTENTE ET SVBGVLARI LANIO CEDENTIBVS, RELIQVA CARO CVM PELLE ET INTERRANEIS PROFICIAT VENDITORI SVB CONSPECTV PVBLICO FIDE PONDERIS COMPROBATA, VT QVANTVM CARO OCCISI PECORIS APPENDAT ET EMPTOR NORIT, ET VENDITOR A COMMODIS OMNIBVS PRÆDA DAMNATA, QVAM TRIBVNVS OFFICINÆ, CANCELLARIVS ET SCRIBA CAPERE CONSVEVERANT DE PECVARIIS. QVÆ FORMA INTERDICTI DISPOSITIONIS SVB GLADII PERICVLO PERPETVO CVSTODIENDA MANDATVR.

Refertur verò hoc in Inſcriptionibus Antiquis.titulo Edicti Aproniani. Et fortè,nihil enim præter coniecturam habeo, ab eo Aproniano propoſitum fuit, quem Valentiniano imperante Vrbis præfecturam geſſiſſe Ammia. Marcell. lib. xxvj teſtis eſt. Coniecturam meam illa ratio adiuuat, quod cura carnis ad præfectum Vrbis pertineret l.j. ſ. cura carnis. D. de offic. præfect. Vrb.

De mancipationis ſolemnibus. CAP. VII.

DVo fuere proprij rerum abalienandarum iure Quiritum comparati modi,citra quos legitimum in accipiẽtem dominium transferri non poterat,Mancipatio,& Ceſsio in iure. Nec enim vel à domino res tradita,ſi neque mancipata, neque in iure ceſſa eſſet, accipientis antè ex iure Quiritum fiebat, quàm per tempus lege ſtatutum poſſeſſa vſucaptaq; eſſet. Vſucapione plane accedente, quæ ipſo quoque Horatio teſte quaſdam res mancipat, quod traditioni deerat ſupplebatur: interim in bonis tantum habere,qui rem ita acceperant, dicebantur, vt ab Vlpiano in Inſtitutio.tit.j. exponitur. Hac de cauſa non res modò quæ mancipi erant, mancipatione alienari,ſed & liberorum emancipationes, adoptionesq; par imaginariam mancipationis ſolemnitatem expediri conſueuerant: quemadmodum Gaius lib. j. Inſtit.tit. vj.& Feſt. Pomp. lib.v.& Gellius lib. v. cap. xix.tradunt. Ex quo Suetonij in Auguſto locus interpretationem accipit, in „ quo ita ſcriptum eſt: Adoptauit & Lucium & Gaium domi „ emptos per æs & libram à patre. Hereditates quoque in heredes per mancipationem transferebantur.Eaq; erant per æs & libram facta teſtamenta, quorum in Vlpiani, Iuſtinianiq; Inſtitutio.fit mentio. Vnde per æs & libram heres apud Cicero. lib.ij. de Leg. qui & familiæ emptor appellabatur.Cuius rei cauſam cum Plutarchus non intelligeret, ſic in lib. de Sera numin.vind.de Romanis loquens ſcripſit: ὅταν δὲ διαθήκας γράφωσιν, ἑτέρους μὲν ἀπολείπουσι κληρονόμους, ἕτεροι δὲ πωλοῦσι τὰς οὐσίας, ὃ δοκεῖ παράλογον εἶναι. Mancipationis porrò ſollemnia Boët. in Topic. Cicero. ex antiquorum Iuriſconſultorum „ libris ita exponit. Mancipatio, ait, imaginaria quædam ven-

ditio est, quod ipsum ius proprium Romanorum est ciuium. " Eaq; res ita agitur adhibitis non minus quàm quinque testi- " bus. Ciuibus Romanis puberibus, & præterea alio eiusdem " condicionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libri- " pens. Is qui mancipio accipit, æs tenens ita dicit: Hunc ego " hominem ex iure Quiritum meum esse dico, isq; mihi em- " ptus esto hoc ære æneaq; libra. Deinde ære percutit libram, " idq; æs dat ei à quo mancipiũ accipit, quasi pretij loco. Quod posterius à Varro. lib. viij. de lingua Lat. præstringitur, cum ait, Pro assibus nonnumquam æs dicebant antiqui: à quo di- " cimus assem tenẽtes, Hoc ære æneaq; libra, Vlpia. in Institu- tionib. tit. xix. Mancipatio propria species alienationis est " & rerum mancipi, eaq; fit certis verbis, libripende & quinque " testibus præsentibus. Quod & Horatius significat cum ait,

Si proprium est quod quis libra mercatur & ære.

Tertull. lib. ij. aduersus Marcio. Vt ergo bonum iam " suum haberet homo emancipatum sibi à Deo & fieret pro- " prietas iam boni in homine & quodammodo natura de insti- " tutione, adscripta est ei quasi libripens emancipati à Deo bo- " ni libertas. Ex quo & in emancipationibus, & in testamentis, " quæ per mancipationem familiæ fiebant, quinque testes ci- ues Romanos cum libripende adhibitos supra positi aucto- rum loci memorant. Atque hanc libræ adhibendæ solemni- tatem ab eo profectam esse nemo nescit, quòd veteres infe- ctum argentum appendere, non numerare solerent. Liuius lib. vj. inde creditori palam pro populo soluit libraq; & ære " liberatum emittit. Plin. lib. xxxiij. cap. iij. Populus Romanus " ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem deuictum vsus est. Libralis, vnde etiam nunc Libella dicitur, & dupon- dius appendebatur assis. Quare Æris grauis pœna dicta, & adhuc Expensa in rationibus dicuntur. Item impendia, & dependere. Quin & militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores Libripendes dicuntur. qua consue- tudine & in his emptionibus quæ mancipi sunt, etiam nunc libra interponitur. Cuius rei vestigium ad sua vsque tempora in æde Saturni mansisse Varro circa finem lib. iiij. de lingua Latin. scribit, in quatrutina propter pensuram posita exta- bat. Porrò adscribi solita fuisse in veteribus mancupiis hæc

verba comperio, RAVDVSCVLO LIBRAM FERITO. quibus monebatur emptor asse libram tangere. Varro lib.iiij. de lingua Latin. Æs Raudus dictum: ex eo in veteribus mancupijs scriptum, RAVDVSCVLO LIBRAM FERITO. Festus lib. xvi. in eiusdem verbi explicatione, Vulgus quidem, ait, in vsu habuit non modò pro ære infecto, vt Lucilius cùm ait, *Plūbi paxillū Rodus limina texā*: sed etiam pro signato: cùm dicitur in mancipando, RAVDVSCVLO LIBRAM FERITO, id est, asse tangito libram. Raudusculi autem verbo etiam Cic. epist. viii. lib.iiii. ad Attic. Et epist. pen.li. vi. & epi.ii. lib.vii. vsus est. Valer. lib. v. c. vi. Cuius testandæ rei gratia capitis effigies æreæ portę qua excesserat, conclusa est, dictaq; Rauduscusculana, quòd olim Rauda æra dicebantur. Postea vero Raudusculanę etiam P. Victor meminit eiusque vicum in xii. vrbis regione ponit.

Quales olim emerentur venderenturq; nummi.

CAP. VIII.

LEGE Cornelia de falsis, quemadmodum Vlpianus scribit, exprimebatur, nequis nummos stanneos, plumbeos emere vendere dolo malo vellet. l.ix. §. primo. D. ad legem Corneliam de falsis. Quod legis caput absurdum scio plerisque visum iri, quibus nouum videbitur nummos, quibus merx ipsa ęstimatur, mercis vice fungi. Ego didici hoc ad peregrinos nummos, Daricos puta, Philippos, tetradrachmum Atticum, siclos, & alios id genus esse referēdum, quos ceterarum rerum exemplo in emptionem deduci solitos Volus. Metianus in lib. de Asse & partibus eius indicat. At peregrinus, ait, nummus loco mercis, vt nunc tetrachmum & drachma habebatur. Hoc autem tetrachmum, vt hoc obiter addam, tetradrachmum à Casio lib.xii Epist. Cicero. & à Polluce lib.ix. onomast. appellatur. Similiter & victoriatum nummum, qui à victorię signo impresso id nomen accepit, priusquam lege Clodia pērcussus esset, ex Illyrico aduectum, mercisq; loco habitū Plin. lib. xxxiii. cap. iii. refert. Cuius nummi Varro lib. viii. & lib. ix. de lingua Latin.

Cicer. pro M. Fonteio. Quintilian. lib. vj. cap. iiij. Tertullia. in lib. de Virginibus velandis. & idem Plinius lib. xx. cap. vlti. & lib. xxiij. cap. vi. meminere. Solidos quoque veterum principum effigie formatos sua ętate venisse Constant. l. i. C. de vet. numis. pot. lib. xj. indicat. Sed & auctor libelli de reb. bellic. qui Notitiæ subiunctus est, hoc demonstrat. Ementis, « ait, eumdem Solidum fraudulenta calliditas & vendentis « damnosa necessitas difficultatem quamdam ipsis contra- « ctibus intulerunt, ne possit rebus inesse simplicitas. «

Notata in veterum cautionibus vox, Rectè.

CAP. IX.

VETERUM cautiones magna arte diligentiaq; compositas, vt etiam superuacaneis multis clausulis abundarent, facile est Aquiliana stipulatione, & ea, quæ in Papiniani auditorio lecta est, cautione intelligere. Inter cetera autem vsitata earum verba dãdi faciendiq; promissionibus vocem *Rectè* addere solitos obseruaui. Quod ego hoc capite exemplis planum faciam. Scæuola in l. qui Romæ. §. Callimachus. de verb. oblig. *Eaq; rectè sibi dari fieri sic interroganti Sticho seruo L. Titij promisit Callimachus*. Papinianus in l. reos. §. cum tabulis. D. de duob. re. *Tot aureos rectè dari stipulatus est Iulius Carpus*. Paulus in l. lecta. D. si cert. pet. *Eaq; proba rectè dari kalendis futuris stipulatus est, &c.* Cato de re Rust. cap. cxxxxvj. Rectè hæc dari fieríq;, satísq; dari domino, aut cui iusserit, promittito, satisq; dato arbitratu domini. Varro etiam priscam formulam recensens lib. ij. de re Rustic. cap. ij. Sanas rectè esse, habereq; rectè licere, hæc sic rectè fieri spõdes? Inuenimus & hæc verba in stipulationibus posita, *Eam rem rectè restitui*, vbi vt & in clausula *Rectè defendi*, verbum *Rectè* pro viri boni arbitrio est: l. hæc verba in stipulatione. D. de verb. sign. l. iam tamen. §. nũc videamus. l. ex clausula. l. vir bonus. D. iudicatum solui. l. rectè. D. de iudiciis. l. hæc autem. §. rectè. ex quib. caus. in possessionem. Est & illa in libris nostris cautio, *His rebus rectè præstari*. l. ipsi quoque. D. de rei vindicatio. l. redhibere. §. pe.

D. de ædilicio edicto. Cuius potestatem explicat Vlpian. in l. aliud. ſ. vlt. D. de ver. signif. Ita *Rectè cavere* in l. ii. D. de vsufructu ear. rer. & apud Plin. lib. x. Epistol. Item *Rectè promittere* in l. penult. D. de transactio. *Rectè ire agere* in l. si mihi. D. de seruitutib. rustic. præd. Palam rectè pronuntiare in l. i. ſ. i. & l. Ædiles aiunt. D. de ædilicio edicto. Nec omittẽda est & illa veteribus familiaris & in re iudiciaria persæpe vsurpata locutio Rectè atque ordine facere, vt in Senatusconsulto Velleiano, *Rectè atque ordine facturos, ad quos de ea re in iure aditum erit.* l. ij. D. ad Senatusconſ. Velleia. quę duo etiam coniunguntur in l. diui. ſ. rectè. D. de liberali cauſ. l. obseruare. §. rectè. D. de officio proconſ. Et apud Ciceronem pro Quintio, & Philipp. v. & in oratione Cæsaris, quæ est apud Sallustium in Catilinæ bello, & aliâs persæpe.

De aqua equis spargi solita, & agitatoribus quædam.

Cap. X.

SCio quæri qui & quales sint quos Vlpian. scribit aquam equis spargere in l. iiij. D. de his qui notant. infam. Nam plerique nodum in scirpo quærentes, inuolueri aliquid illis verbis contineri existimant, quod nobis antiquitatis ignoratio obscurũ reddat. Ego verò, quod & ipsa palam sonant, eos significari credo qui Circensibus deseruientes, equos cursu incalescentes frigida perfundebant, quò paululum refocillati alacrius cursum repeterent. Cuius rei mihi indiciũ aliquod Sex. Pomp. lib. xi. facit, qui Nasiternam genus esse vasis aquarij ansati & patentis scribit, quale est quo equi perfundi solent. Adde locum Hieronymi in Hilario. vita. Huius autem vasis & Varro lib. j. de re Rustic. & Non. Marcel. & Fulgentius in libello De obscuris vocibus ad Calcid. meminere. Ceterùm quòd eodem loco Vlpia. ait, agitatores famosos non esse, in dubitationem à Theophilo adducitur, qui inter famosas personas ἡνίοχον numerat, quem aurigam agitatorémue interpretari licet. Cui & κυνηγέτην coniungit, eum, vt vaist mo, intelligens, qui ludo venatorio operas suas locat

aut in arena honorari se patitur. l. aut. §. pen. D. de pœnis. Quo modo & venatorem apud Vegetium lib. ij. cap. xxiiij. interpretor. Nam qui virtutis causa vel etiam mercede feras extra arenam venatur, nota caret l. j. §. bestias. D. de postul. Sed quod ad aurigas attinet, in famosis eos nemo Vlpiano repugnante iure numerauerit, cum & laudi virtutiq; duci hoc exercitationis genus solitum historiarum monimenta testētur, & ex nobilissima quoque iuuentute amplissimoq; ordine in circum nonnullos aurigas productos Suetonius in Augusto cap. xliiij & in Caligula cap. xviij. narret. Itaque ex eorum, quibus vixit, temporum moribus potiùs, quàm ex prudentum definitione aurigas Theophilus inter infames collocauit.

Explicata l. vlt. C. de emancipatio. & de veteri emancipationum manumissionumq; solemnitate.

Cap. XI.

DISPLICERE sibi in emancipationibus vetustas imaginariarum venditionum & iniuriosorum ῥαπισμάτων sollemnitates Iustinianus profitetur in l. vlt. C. de emancipat. Cuius ritus etiam meminit idem imperator Nou. lxxxi. quæ vulgo inscribitur constitutio quę dignitatibus &c. εἰ γὰρ ἡ τῆς emancipationis πρᾶξις πάλαι μὲν ἀπὸ τὰς κεκλευσμένας legis actiones γινομένη μεθ' ὕβρεων καὶ ῥαπισμάτων ἀπήλλαττεν αὐτοὺς τῶν τοιούτων δεσμῶν. Cornut. in V. Satyr. Persij. Quia quoties manumittebāt eos, ait, alapa percussos circumagebant & liberos cōfirmabāt. Quod quemadmodum olim se haberet, intelligi nihilominus attinet. Tam enim antiquum ius in hæc studia incumbentibus, quàm nouum tenendum est. Sciendum est autem instar seruorum filiosfamilias venundari manumittiq; solitos, nec semel tantum, sed & iterum ac tertiò quemadmodum Caius lib. j. Institutio. tradit, adumbrata venditionis specie fiduciario patri mācipari, quo scilicet patriæ potestatis nexu penitus liberarentur, à qua post trinam demum venditionem absolutio ex regiis legibus contingebat hoc cum in imaginariam seruilem causam vt & à Paulo in l. iij. §. j. D. de cap. de

minut. ſcriptum eſt, deducerentur, qui per emancipationem patris poteſtate exibant, minime mirum videri debet ſi inter capitis minutiones emancipatio numeretur, colaphis quoque præterea in ea ſolemnitate peragenda cædebantur, quod in d.l.vlt.& in nouuel. Conſtitution. lxxxj. Iuſtinianus ſignificat. Liberti quoq; manumiſſione accepta alba veſte decorabantur. Tertull. Si famulum tuum libertate
„ mutaueris,& veſtis albæ nitore & aurei annuli honore & pa-
„ troni nomine ac tribu menſaque honoratur. Idem & aduer-
„ ſus Marcionem lib. v. probat. Nam & hoc in ſeruorum manumiſſione factum Iſidorus ex quopiam bono auctore lib. ix. Etymolog. cap. iiij. refert. Et aperte Greg. Nyſſenus orat. iij. de reſurrectione Chriſti ſignificat, Hoc die annexi ſoluū-
„ tur, debitor dimittitur, ſeruus bono & humano præconio at-
„ q; edicto Eccleſiæ manumittitur, nec tantum alapis fœde os
„ eius ſoluitur, plagiſq; à plaga liberatur. Baſilius magnus in
„ homelia exhortatoria ad baptiſmum, εἰ δῦλος ἀνθρώπων ἦσθα προσεχαράχθη δὲ δύλους ἐλευθερία, ὐκ ἂν ἐπὶ τὴν κυρίαν ἀπήντησας συνηγόρους μισθύμενος καὶ δικαστὰς παρακαλῶν, ὥστε πάσῃ μηχανῇ πρὸς ἐλευθερίαν ἐξαιρεθῆναι, ἥπου καὶ ῥάπισμα τελευταῖον τῶν δύλων πληγῆναι, ὑπὲρ τῆς μετὰ τῶν αἰκισμῶν ἀπαλλαγῆς κατεδέχου. Quibus & illud adde, vt reliqua manumiſſionum ſolemnia complectar quod Sex. Pompeius lib. xi. ſcribit, dominum eius ſerui, quem ad libertatem perducere volebat, caput aut aliud mēbrum tenentem dixiſſe, hunc hominem liberum eſſe volo, ſtatimq; eū manumiſiſſe. Quò pertinent hi Martialis verſus lib. ix.

Affers neſcio quas mihi tabellas
Et dicis, Modo liberum eſſe iuſsi,
Zenas ſeruulus eſt meus paternus,
Signa. ---

Quæ fortè verba Hermogenianus intelligit in l. manumiſſio. D. de manu. vind. niſi ea magis placeat intelligi quæ à lictore proferri ſolita oſtendit Boeth. in top. Cicero. cùm ait,
„ Vindicta eſt virgula quædam quam lictor capite ſerui manu-
„ mittendi imponens, eundē ſeruum in libertatē vindicabat,
„ dicens quædam verba ſolemnia. Quæ cùm effari & proferre
„ mutus non poſſet, idcirco nec vindicta ſeruum olim liberare

poterat

poterat, auctore Paulo lib. iiij. sent. tit. xij. Praeterea verò eis quibus plena libertas dabatur, vindictam lictoris virgam imponi solitam Plutarch. in lib. De sera numinis vindicta, & Persius satyra v. significant, sine cuius impositione imperatorem ex lege Augusti solo verbo liberum facere eum, quē manumittit, à Paulo traditur in l. apud eum. D. de manum. Circumagebantur deinde & vertebantur serui, quod & eadem satyra Persius & Seneca epistola viij. lib. j. ad Lucilium, & lib. ij. Controuersiarum ostendunt, ac denique raso capite pileum accipiebant. Iuuen. Sat. v.

-- pulsandum vertice raso
Praebebis quandóq; caput ---

Liuius lib. xxxiiij. Praebuerunt tamen spes triumpho « capitibus rasis secuti qui seruitutem exempti fuerant. Id « quod ad exemplum eorum, qui naue fracta salui euaserant, Nonio Marcello institutum placet. Artemidorus lib. j. de somn. Interpr. cap. xxiij. ναυαγήσαντες μὲν γὰρ καὶ ἐκ μεγάλης σωθέντες νέσω ξυρῶνται οἱ ἄνθρωποι. Mihi an ab hoc more mos ille ductus sit, dubitanti probabilis illius institutionis ratio reddi posse videtur, quod qui libertate mutabantur, tāquam noui homines fierent, ita crinem mutabāt, quod apud Athenienses quoque seruatum Suidas in verbo ἀνδραποδώδη τρίχα memorat. Extremum illud erit libertate donatos nouum patroni nomen assumpsisse, suoq; quod vnicum antea habuisse eos lex, Cùm precum. C. de liberali causa indicat. vna cum praenomine adiunxisse. Quò alludens Persius,

Verterit, ait, *hunc dominus momento turbinis, exit*
Marcus Dama. Sed haec hactenus.

Vetus de adsessoribus constitutio cum aliquot ad eam pertinentibus locis explicata.

CAP. XII.

A Principibus magistratibúsque olim in consilium iuris studiosi adhibebantur. l. Celsus. de legat. ij. l. an manumittere. D. de man. vind. l. iij. § j. D. de minor. xxv. an. l. j. D. de offic. adsess. & hoc adsidere appellabant. l. metum. §. sed ex facto. D. quod metus causa.

Iosephus contra Appio.lib.ij. ὅτι τὰς μεγίστας καὶ κυριωτάτας ἀρχὰς διοικοῦντες ὁμολογοῦσι τὴν ἄγνοιαν. ἐπιστάτας γὰρ παρακαθίσαντες τῆς τῶν πραγμάτων οἰκονομίας τοὺς ἐμπειρίαν ἔχειν τῶν νόμων ὑπισχνουμένους. Adde Senecam in lib. de Tranquillitate
„ vitæ, An ille plus præstat qui inter peregrinos & ciues aut
„ Vrbanus prætor adeuntibus, & adsessoris verba pronuntiat.
„ Suetonius in Tiberio cap.xxxiij. Magistratibus pro tribunali
„ cognoscentibus plerúmque se offerebat consiliarium, adsi-
„ debátque mixtim, vel ex aduerso in parte primori. Nec vrbanis modò magistratibus, sed & prouinciarum rectoribus, vt ex Lampridio in Alexandro apparet, sui erant adsessores: de quibus quò sanctius integriusque ius diceretur, antiquitus constitutum fuisse traditur, vt ne cui in sua prouincia vltra quattuor menses sine speciali principis beneficio liceret adsidere. Cuius constitutionis sanciendę auctorem Spartianus Pescenninum Nigrum memorat, qui cum Marco Antonino & Commodo Imperatoribus honoribus in Repub. floruerit, facilè coniectura capi potest, ab illis principibus hanc esse constitutionem sacratam. A quo non longè abhorret quod Xiphilinus & Zonaras à Marco constitutū fuisse referunt, vt ne quis patriæ suę præesset, ἐνομοθετήθη, aiunt, τότε μηδένα τοῦ ἔθνους ἄρχειν, ὅθεν ἐγένετο, ὅτι ὁ Κάσσιος ἐν τῇ Συρίᾳ ἡγεμονεύων ὅπου δὲ ἡ πατρὶς αὐτοῦ ἦν, ἐνεόχμωσεν. Illam verò constitutionem iisdem, quas posui, exceptionibus, conditionibúsq; temperatam Diocletianus protulit in l. in consiliariis. C. de adsess. ex qua interpretationem accipit l. hi qui. & l. si cui in prouincia. D. ex quib. caus. maio. Eóq; referendum est quod Macer scri-
„ bit, Si eadem prouincia posteà diuisa sub duobus præsidibus
„ constituta sit, sine constitutionis offensa ex altera ortum in
„ altera adsessurum, cùm in sua prouincia non videatur adsi-
„ dere, quæ ad alterius præsidis administrationem pertineat. l.
„ iij. D. de offic. adsess. Paulus lib. v. sent. tit. xij. In ea prouincia
„ ex qua quis originem ducit officium fiscale administrare
„ prohibetur ne aut gratiosus aut calumniosus apud suos esse
„ videatur. Verum enim verò sic ea constitutio accepta est, vt in his dumtaxat, qui publico salario fruerentur, id est, qui præsidibus, rectoribúsq, prouinciarum adsiderēt, locum haberet, quibus è publico salaria ab eodem Pescennino addita,

ac deinde ab Alexandro constituta Spartianus, Lampridiúsq; referunt. Ex quo cum Papiniano efficiemus in consilium curatoris Reipub. virum eiusdem ciuitatis adsidere nō prohiberi, quippe qui publico salario non fruatur. l. vlt. D. de offic. adsess. Non de nihilo igitur in Diocletiani rescripto additum est, MODERATORIBVS ADSEDERIT. Ceterum extat generalior Valentiniani & Theodosij Cōstitutio, quæ districtè prohibet aliquod administrationis officiū intra eā prouinciam, in qua prouincialis & ciuis habetur, quem affectare, eúmq; qui contrà fecerit, aduersus leges fecisse & sacrilegij, id est, legum violatarum crimine teneri indicat. l. vlti. C. de crimin. sacril. Ac ne apparitorem quidem, vel statorē, vel protectorem, vel agentem in rebus in ea prouincia, in qua natus est, vel domicilium habet, quemquam ferendum Iulianus sanxit in l. iij. C. de diuer. off. lib. xij. Vsque adeò carere suspicione voluere Imperatores eos, qui aliquam in prouinciis potestatem obtinerent.

Quid sit ad peregrinitatem redigi, & de Romanæ ciuitatis iure.

CAP. XIII.

PROMENDVM ex antiquitate est, quid hoc valeat, quod apud Vlpianum legimus ad peregrinitatem redigi deportatos. l. sed si hac lege. §. sed si per pœnam. D. de in ius voc. Quo genere dicendi etiam Tranquillus in Claudio vtitur. Splendidum, "ait, virum, Græciæq; prouinciæ principem, verùm Latini "sermonis ignarum non modo albo iudicum erasit, sed etiam "in peregrinitatem redegit. Ad peregrinitatem redigi est pe-"regrinæ condicionis effici. qua conditione censebantur deportati & hi quib. aqua & igni interdictum erat. Nam & togæ vsu carebant, vt Plin. Epist. lib. scribit, proinde Claudius &c. Peregrini plane dicebantur qui ciues Romani non erant. l. sed etsi. §. solemus. D. de hered. inst. quos à veteribus primum hostes appellatos ab eo quòd pari cum ciuibus iure viuerent, notius est, quàm vt probatione egeat. Et æquabātur quidem hi in iure reddendo ciuibus, quod eis per

prætorem, cui ea iurisdictio euenerat, dicebatur. Ceterùm ciuitatis Romanæ commodis non fruebantur, quæ fuisse permaxima & summi beneficij loco exteris tributa accepimus. Ex ciuium enim Romanorum testamentis soli ciues capiebant, nec erat cum peregrinis testamenti factio l j. C. de hered. instit. Itaque vt à ciuili more degenerasse Antonium Augustus probaret, testamentum quod is Romæ etiam Cleopatræ liberis inter heredes nuncupatis, reliquerat aperiendum recitandumq; pro concione curauit, ciuiumq; dũtaxat Romæ rata habebatur testamenta. Idcirco in lege Falcidia non sine ratione scriptum est: QVICVMQVE CIVIS ROMANVS POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTVM FACIET, IS QVANTAM CVIQVE CIVI ROMANO PECVNIAM PVBLICO IVRE DARE VOLET, &c. Inter solos ciues etiam Romæ iustæ nuptiæ contrahebantur. §. j. Inst. de nupt. Propriumq; eorum erat; quòd in liberos habebant patriæ potestatis ius § j. Inst. de patr. potest. Verberibus etiam cædi ciues, aut in crucem agi, aut iniussu populi in eos animaduerti fas non erat. In legionibus quoque non alij quàm qui ciuitatem accepissent, militabant. Hoc amplius, inter solos ciues solemnes per nexum abalienationes locum habuisse Cicero in Topicis ostendit. Eademque ante Iustiniani constitutionem vsucapionum causa fuit, Quæ cùm iure ciuili, id est, lege xij. Tabularum introductæ essent, Italici soli finibus continebantur, idq; ipsum nominatim lege cauebatur aduersus hostem æternam auctoritatem esse, vt idem Cicero j. Offic. notat. Adde & honores Romæ gerere, suffragium ferre, sed & toga vti dumtaxat ciuibus licuisse. Fuit enim, vt priora duo, quæ in promptu sunt omnibus, omittam, toga Romani ciuis certissimum insigne. l. sed si accepto. D. de iur. fisc. Nec sine crimine aliam Romano ciui vel in media Asia vestem sumere licebat. Itaque apud Liuium à Q. Fabio in inuidiam P. Scipio eo nomine adducitur, quòd in Sicilia palliatus fuisset. Idemq; cum Rabirio Posthumo ab aduersariis obiectum esset, accuratam in eo facto purgando orationem Cicero consumit. Quorum omniũ quę Quiritiũ pecularia ac propria fuisse docuimus, Peregrini expertes erant. Nam neque testamenti factio cum

his. vt Vlpianus in Institut.tit. xvij. & xxij. & in D. §. solemus. tradit, neque connubium erat, quemadmodum idem " auctor Instit tit. v. indicat his verbis. Connubium habent " ciues Romani cum ciuibus Romanis, cum Latinis autem " & peregrinis ita, si concessum sit. Quod & Boëthius ad Topica Ciceronis in loco a consequentibus tradit. Hinc Seneca lib. iiij. de benef. cap. xxxv. Promisi tibi filiam matrimo- " nium, postea peregrinus apparuisti, non est mihi cum extra- " neo connubium. Itaque nec peregrinis eadem quæ ciuibus " in liberos potestas erat. Sed & omnis ad honores aditus peregrinis interclusus erat, suffragiorum in vrbe ius nullum. Ad hæc togæ vsus interdictus Plinius lib. iiij. epistol. ad Minut. Idem cum Græco pallio amictus intrasset (carent enim togæ iure quibus igni & aqua interdictum est) postquam se composuit circumspexitq; habitum suum, Latinè, inquit, declamaturus sum. Sueton. in Claud. cap. xv. Peregrinitatis reũ " orta inter aduocatos leui contentione, togatúmue, an pal- " liatum dicere causam oporteret, quasi æquitatem integram " ostentans mutare habitum prout accusaretur, defendere- " túrue iussit. Eam ob rem togæ iure amicos populos à Roma- " nis donatos historiarum monumentis proditum est, idq; & nouæ Carthagini concessum Tertullianus in lib. de Pallio significat. Inde togatæ Galliæ nomen, quam & ad honores adspirasse Tacit. lib. xj. & suffragiorum ius in vrbe habuisse memorat, & Paulus Manutius non dubiis argumentis in Epist. ad Atticum confirmat. Sic & Hispaniæ populos quosdam iuris Italici factos togatos stolatosq; appellatos Strabo lib. iij. Geographiæ scribit. Ex hoc more etiam regibus, quos amicos & socios appellabant, inter cetera togam muneri mittebant cuius rei apud Cornelium Tacitum lib. x. exemplum extat. Nec vero virilium togarum tantùm, sed & prætextarum iure peregrinos caruisse ex Macrobio lib. j. cap. vj. colligitur. Ad hæc prænominibus peregrini non vtebantur, quæ tum demum, cùm in ciuitatem essent adlecti, assumpsisse eos Cicero lib. xiij. Epist. ad Acilium Procos. ostēdit. Cum Demetrio, ait, Mega mihi vetustissimum hospi- " tium est: familiaritas autem tanta quanta cum Siculo nullo. " Ei Dolabella rogatu meo ciuitatem à Cæsare impetrauit, "

qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur. " Gentilicia planè Romanorum nomina, quemadmodum à Tranquillo scriptum est, peregrinæ condicionis homines vsurpare Claudius Cæsar vetuit: permagni interesse ad ciuitatis decus ornamentumq; existimans, ne nominum quidem societate peregrinis ciues Romanos coniungi. Peregrini porrò etiam in vrbe habebantur, qui dediticiorum numero erant. vt Vlpianus in Institut.tit.xxij.scribit, idemq; eiusdem libri titul. x. auctor est & eos peregrinos effici, quibus aqua & igni interdicebatur. Cuius in pœnæ locum cùm hodie deportatio successerit, consequens est, quod à nobis initio positum est, per deportationis pœnam in peregrinorum statũ condicionemq; ciues redigi, id est, vt cum ipsis Iureconsultis loquar, [illegible] effici. quidam. D. de pœn. l. j. § hi quibus. de legat. iij. Proinde hereditatum quoque capiendarum, & testamenti faciendi, & patriæ potestatis, & alia omnino Quiritum iura amittere. l. j. C. de heredibus instituend. l. eius q i §. j. D. de testamentis. § cum autem. Institution. quib. mod. ius patr. pot. Caius etiam instit. lib. i. tit. vj. Item de potestate patris exeunt filij si pater eorum in exilium missus fuerit, quia non potest filium ciuem Romanum in potestate habere homo peregrinæ condicionis effectus.

Collegia illicita quibus legibus, senatusconsultis, constitutionibusq; coërceantur.

Cap. XIIII.

CONSTANS omnium sententia est, nullam illicitis cœtibus capitaliorem Reipub. pestem esse. Itaque neque societatem, neq; collegium, neq; huiusmodi corpus passim omnibus habere Romæ, quantum ab vltima antiquitate repeto, concedebatur, eámq; rem & legibus, & senatusconsultis, & constitutionibus, mandatísq; principum coërcitam, collegiáq; præter pauca & certa publica auctoritate cõfirmata, quæ vtilitas ciuitatis desiderasset, sublata Asconius in Cornelia. Cicer. & nostri auctores. in l. j. D. quod cuiusq; vniuer. & l. j. & l.

iij.D.de colleg.& corp.ſcribunt. Leges in eandem latas inueſtiganti mihi regia Tarquinij lege vetuſtior nulla occurrit,qua præter collegia à Numa inſtituta reliqua omnia diſſoluit,quemadmodum Halicarnaſſ.lib. iiij. his verbis refert. συνόδους τε συμπάσας, ὅσας πρότερον ἐγίνοντο κωμητῶν ἢ φρατριαστῶν ἢ γειτόνων ἔντε τῇ πόλει καὶ ἐπὶ τῶν ἀγρῶν, ἐφ' ἱερὰ καὶ θυσίας πάσας κοινῇ προεῖπε μηκέτι συντελεῖν, ἵνα μὴ συνιόντες εἰς τὸ αὐτὸ πολλὰς βουλὰς ἀπορρήτους μετ' ἀλλήλων ποιῶνται περὶ καταλύσεως τῆς ἀρχῆς. Senatuſcōſulta verò, quibus collegia, quæ cōtra leges inſtituta eſſe videbātur, ſublata sūt, tria memorātur: vnum à Pædia.in Piſonian. quod L. Cæcilio & Q. Martio Coss. factum eſt. Alterum à Cicerone lib.ij.epiſt. ad Q. Fratrem, quod Lentulo & Metello Coss. Tertium à Tacito lib.xiiij.Neronianis temporibus factum,cum de contentione inter colonos Nucerinos Pompeianóſq; orta ad Senatum relatum eſſet. Principum de eadem re conſtitutiones à Iulio Cęſare repetemus, quem bellis ciuilibus compoſitis collegia cuncta præter antiquitus conſtituta & legitima diſſoluiſſe Sueton.in eius vita cap.xxxvij refert. Quod ipſū & ab Auguſto poſtea factū, cū plurimę factiones titulo collegij noui ad nullius nō facinoris ſocietatē coïſſent, idem auctor in Auguſt. cap. xxxij. ſcribit. Mandatis quinetiam principalibus, quæ præſidibus dabantur, caput hoc inſertum accepimus, vt ne collegia ſodaliriáue eſſe præſides prouinciarum paterētur, néue milites collegia in caſtris haberent, idque non tantùm in vrbe, ſed in Italia & in prouinciis locum habere Diuus quoque Seuerus reſcripſit l.i. D.de colleg.& corp. Vnde Tertull. in lib.de ieiunio, "Niſi forte in ſenatuſconſulta & in principum mandata coïtionibus oppoſita delinquimus. Qua de cauſa etiam Iudæorum religionis cauſa conuentus in prouincijs præſides proconſulesq; inhibebant, quoad illis ſacrorum ſuorum cauſa coïre Auguſtus epiſtola ad Norbanum Flaccum Aſiæ Proconſulem præſidesq; prouinciarum miſſa permiſit, quēadmodum Philo in oratione ad C. Cæſarem refert, qui & ab eo principe vti collegium Iudæorum eſſe pateretur impetrauit, quod tamen ſtare poſtea Claudius paſſus non eſt, qui omnes Iudæorum ſocietates vniuerſitatesq;, & inſtituta à Caligula conciliabula, vt Dion lib. lviij. auctor eſt, diſ-

ſoluit, poſt quem deinde Antoninus Iudæorum vniuerſitati velut publicè improbatæ legari nihil poſſe reſcripſit,l.j. C. de Iudæis. Vt enim legitimis approbatisq; collegijs & hereditates & legata dari reſtituiq; Senatusconſultis Marci, vt opinor, temporibus factis concedebatur.l.cum ſenatus. D.de rebus dub.l. omnibus D.ad Trebellian. ita illicitis atque illegitimis collegijs nihil iure relinqui poterat. l. collegium. C. de hered. inſtituend. Licita porrò & legitima collegia ea demum habebantur, quibus coëundi ius lege vel Senatusconſulto permiſſum eſſet.l. ſemper. §. quibuſdam. D. de iure immunit. l. j. D. quod cuiuſ. vniuerſ. Collegia primus Numa conſtituit artificum αὐλητῶν, χρυσοχόων, τεκτόνων, βαφέων, σκυτοτόμων, σκυτοδεψῶν, χαλκέων, κεραμέων. τὰς δὲ λοιπὰς τέχνας εἰς ταὐτὸ συναγαγὼν, ἐν αὐτὸ ἐκ πασῶν ἀπέδειξε σύστημα, Hoc Plutarch. in Numa.p.246. Quo in genere figulorũ, fabrorũ ærariorũ, piſtorũ, tibicinũ, aurificũ, cerdonũ, coriariorũ, lictorũ, viatorũ, publicanorũ, nauiculariorum, & eorum qui annonæ vrbis ſeruiebant, collegia in veterum libris recenſentur. Inuenio & in Antiquis inſcriptionibus, & in Cod. Theodoſ. centonariorum, ac dendrophororum corpus: menſorum item frumenti, in l. ab his. §. j. D. de vacat. mun. Item vinariorum, lupinariorum, & caligariorum apud Lampridium in Alexandro: à quo principe omnium artium corpora inſtituta, hisq; ex ſeipſis defenſores datos idem auctor ſcribit, defenſores appellans, quos & ſyndicos dicimus, quemadmodum in l.j. §. tutores. D. quand. appell. ſit. l. ij. & l. xvj. §. vlti. & l. vlt. D. de munerib. & honor. præter quos etiam patronum ſibi aliquem collegia quæq; conſtituebant, cuius rei in Inſcriptionibus antiquis teſtimonia reperiuntur. Huiuſmodi verò collegijs arcæ communis habendæ, pecuniæq; in commune cogendæ ius competebat. Manumittendorũ quoque ſeruorum poteſtatem his conceſſiſſe Marcus dicitur. l. j. D. de libert. vniuerſit. Quorum omnium nihil illicitis collegijs tribuebatur. Illicita autem exiſtimabantur vtique omnia, quæ non ex ſenatus Principiſue auctoritate coïſſent. Aliter enim noua collegia iure inſtitui non potuiſſe argumento eſt; quod Bithyniam Proconſule regens Plinius, cùm è re Nicomedenſium ciuitatis exiſtimaret fa-

ret fa-

ret fabrorum collegium institui, id vt facere sibi liceret, à Traiano per litteras, lib. x. Epistol. suarum petit: Cuius tamen petitioni Traianus adsensus non est, veritus ne quod aliàs acciderat collegiorum factionibus ea ciuitas vexaretur. Ceterùm qui illicitum collegium coïsse dicebantur, Romæ apud præfectum vrbi accusabantur. l. j. §. vlti D. de offic præfect. vrbi.

De iure nundinarum. CAP. XV.

COLLEGIIS nundinas adiungamus, quas ne in priuatis quidem prædiis ad arbitrium instituere cuique permittebatur, sed accedere Principis vel senatus auctoritatem necesse erat. A Principe peti solitum nundinarum habendarum ius indicio est l. j. D. de nundin. in qua ita est. *Nundinis à Principe impetratis, non vtendo qui meruit, decennij tempore vsum amittit.* A senatu verò impetratum ius hoc quoq; fuisse Plinius lib. v. Epistol. ad Valerianum ostendit. Solers, ait, vir prætorius à senatu petiit vt sibi « instituere in agris suis nundinas permitteretur. Contradixe- « runt Vicentinorum legati. Atq; ita Claudium Imperatorem legibus publicis seipsum subiicientem ius nundinarum in sua prædia à Consulibus petiisse accepimus, vt est à Suetonio in eius vita relatum.

De principum orationibus. CAP. XVI.

AMPLISSIMI ordinis auctoritas, ex quo vnius dominatu omnia teneri cœpere, valde fracta & imminuta est: à bonis tamen principibus aliquatenus in eo retenta, quòd quæ constituturi essent, orationibus complexi, de his censendi arbitrium senatui relinquebant. Cuiusmodi multæ libris nostris memorantur in senatu recitatæ principum orationes. l. j. & l. ij. D. de feriis. l. ij. D. de fugit. l. cùm hic status. D. de donatio. inter vir. l. cùm hi D. de transact. l. oratio. D. de sponsal. l. j. §. j. D. ne de stat. defunct. l. iiij. D. si libert. ingen. esse dic. Eas verò orationes patrum consultum, quemadmodum lex, oratione. D. de ritu

nupt. indicat, statim subsequebatur. Tacitus lib. xj. Orationem principis secuto patrum consulto primi Hedui senatorum in Vrbe ius adepti sunt: Exemplo erit Senatuscõsultum de petitione hereditatis, quod ad orationem Hadriani factũ ex l. item veniunt. ¶. præter. l. illud. l. si & rem. D. petit. heredit. & l. i. C. eodem tit. perspicuè intelligimus. Atque hinc fit, vt quod vno in loco oratione inductum traditur, id aliàs Senatusconsulto circa vllam planè pugnam atque discordiã tribuatur. Vt ecce, de alimentis testamento relictis sine Prætoris auctoritate transigi interdum oratione, interdum Senatusconsulto prohibitum dicitur. l. cùm hi. D. de transact. l. eleganter. § i. D. de condict. in deb. Alienatio rerum minoris oratione & Senatusconsulto interdicta promiscuè dicitur i. & l. non fit D. de rebus eor. l. i. l. si ad resoluendam. C. de præd. min. l. 2. C. si quis ignor. rem. minor. Et quód Senatusconsulto Orphitiano plerumque vindicatur, oratione Imperatorum Antonini & Commodi in senatu recitata factum Vlpianus in Inst. tit. xxvi. & Caius in l. penult. D. ad Senatusc. Tertyllian. scribunt. Amplius quod Senatusconsulto cautum constitutumq; crebrò legimus, ne tutor pupillam vel sibi vel filio suo, nuptum collocet. l. i. C. de interd. matrim. l. amplissimi. C. de excus. tut. l. Senatusconsulto. l. libertũ. §. i. D. de rit. nup. l. vlt. D. de lega. i. l. 2. D. de his quæ vt indig. l. pupillam. D. ad leg. Iul. de adulter. id orationi D. Marci adscribitur in l. si quis tutor. §. quamuis. & l. non solum. ¶. sed etsi filius fam. D. de rit. nupt. l. licet C. de excus. tut. Quæ omnia ea ratione non esse contraria defendetur, quòd Senatui eorum censendorum orationibus in senatu recitatis Imperatores auctores fuerint.

De Quæstorum sub imperatoribus munere.

Cap. XVII.

Qvem me proximè habitus de orationibus principum sermo, vt de Quæstorum officio, per quos eæ plerumque recitabantur, quæ legẽdo adnotaui, in medium adferam, eoq; magis quod inde

lex j. D. de offic. Quæstoris, illustrabitur, in qua Quæstores libris principalibus epistolisq; in senatu legendis vacasse, & Candidatos principis appellatos Vlpianus scribit: quo sensu Canditati nomen apud Velleium Paterculum lib. posteriore accipiendum censeo, cùm ita ait: Quo tempore mihi fratriq; meo Candidatis Cæsaris proximè à nobilissimis ac sacerdotibus viris destinari Prætoribus contigit. Fuisse verò hoc Quęstorum sub Cæsaribus munus, vt orationes Cæsarum recitarent, multa declarant: Illud imprimis, quod Suetonius Neronem refert præterito Quæstoris officio per Consules plerũq; recitasse. Cuius & illud est in Tito cap. vi. Recepta ad se prope omnium officiorum cura, cùm patris nomine & ipse epistolas dictaret, & edicta conscriberet, orationesq; in senatu recitaret, etiam Quæstoris vice præfecturam quoque prætorii suscepit. Tacitus lib. xvi. Inter quorum aspectus & minas ingressi curiam senatores & oratio principis per Quæstorem eius audita est. Dion lib. l. liiij. συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον, αὐτὸς μὲν οὐδὲν εἶπεν ὑπὸ βράγχου, τὸ δὲ δὴ βιβλίον τῷ ταμιείᾳ ἀναγνῶναι δοὺς, τά τε πεπραγμένα οἱ κατηριθμήσατο. Idem lib. lix. de Claudio. καὶ οὐ πάντα ὅσα ἐς τὸ συνέδριον ἐσέφερεν, αὐτὸς ἀνεγίνωσκεν, ἀλλὰ τῷ ταμιείᾳ τήν γε πρώτην καὶ παρὼν ὡς γὲ πλήθει ἀναλέγεσθαι ἐδίδου. Apud Cassiod. lib. vj. histor. Tripart. ca. j. ex Socrate traditur, solum Iulianum à Iulio Cæsare in curia senatui orationes recitasse: sed hæc verba Græco Codice Socratis nõ habẽtur, sed hæc dumtaxat, ὅτι διαγυμναστεύων λόγους συνέγραφε, καὶ τούτους καθιὼν εἰς τὴν συγκλήτου βουλὴν λόγους ἐπεδείκνυτο. Nec verò ad orationes modo recitandas, sed & ad cetera omnia, quæ vel absentes, vel præsentes, si laborem recitandi fugiebant, senatui nota facere vellent, Quæstorum opera Principes vtebantur, vt ex his Suetonij verbis apparet, quæ sunt in Augusto, cap. lxv. De filia absens ac libello per Quæstorem recitato notum senatui fecit.

Obseruata quædam de vxorum ad viros deductione.

CAP. XVIII.

POSSVNT de antiquo nuptiarum ritu ex Pandectis nonnulla colligi: ne id quidem negligendum duxi, qui minuta quæque antiquitatis vestigia studiosè persequor, quod sæpe inter legendum occurrit, vxorem mariti domum deductam. l. si vxor. §. si minor. D. de adult. l. quæsitũ. D. de sponsal. l. ij. in fine. D. de priuileg. credit. l. hæc cōdicio. D. de condic. & demonst. l. si vt certo. §. interdum. D. commo. l. dotis promissio. l. cùm post. §. in domum. D. de iur. dot. l. cùm hic status. §. si quis sponsã. D. de donat. inter vir. l. ii. D. de his quæ vt indign. Quibus omnibus vetus Romanorum mos in mariti domum nouas nuptas traducendi demonstratur, qui etiam l. cum fuerit. D. de condit. & demōnstrat. & l. penult. D. de donat. int. vir. & hisce, quos subieci locis, perspicuè comprobatur. Tacitus lib. xii. Nullo exēplo deducta in domũ patrui fratris filia. Idem lib. xiii. huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit deductæ in domum in qua nihil nisi luctuosum haberet. Seneca lib. iiii. controuersiarum. Cùm infelici face ad dotalem suum noua nupta deduceretur, si qua fides est, exhorrui. Sidon. Appollin. lib. i. Epist. Et necdum tamen tota thalamorum pugna deferbuit: quia nondum ad mariti domum noua nupta migrauit. Augustin. lib. vi. de Ciuitate Dei cap. ix. Sed domum ducenda est, quæ nubit, adhibetur Deus Domiducus, sic enim eum deum, qui ei solemni deductioni præerat, appellabant, eiusmodiq; epitheto Marcianus Cap. lib. ii. de nup. Philologiæ Iunonem ornat. Ab hoc autem more manauit, quod dicimus vxorem ducere: nam id præcisè dicitur: etenim cùm dicimus, vxorem ducere, deest, d[illegible] Plenè autem ac perfectè sic enuntiatur, Vxore[illegible] cere. Terentius Hecy.

Nun suam se illa viua vxorem ductura[illegible]

Et aliàs:

Vt ad pauca redeam, vxorem [illegible]

Idem Phormi.

Dotem si accipiet, vxor[illegible]

Plautus Aulul.

Volo te vxorem domum ducere.

Et alio eiusdem Comœdiæ loco.

Vt indotatas ducant vxores domum.

Eodémq; modo Græci ἀγάγεσθαι γυναῖκα imminutè dicunt, apud quos ista quoque deductio in vsu fuit. Lysias in orat. de Eratosthenis cæde. ἐπειδὴ ἔδοξέ μοι γῆμαι, καὶ γυναῖκα ἠγαγόμην εἰς τὴν οἰκίαν. Pollux lib. iij. ὀνόμας. ὁ δὲ ἄγων τὴν νύμφην ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οἰκίας νυμφαγωγὸς ὁπότε μὴ ὁ νυμφίος μετήει, οὐ νενόμιστο δὲ μετιέναι τοὺς δευτερογαμοῦντας. Ab eadem etiam consuetudine & illud profectum est, quod Non. Marcell. not. Innubere à veteribus dictum pro transire, quòd quæ nuberent, ad maritorum domos transirent. Atque hac de causa absenti per litteras vel nuntium posse mulierem vtiliter nubere nostris placet, si in domum eius deducatur. Absentem verò mulierem ex litteris suis vel nuntio suo duci non posse, quia deductione in mariti domum quasi in domicilium matrimonij opus esset. l. mulierem. D. de rit. nupt. l cùm post. §. in domum D. de iur. dot. Vir absens, ait Paulus lib. ii. sent. tit. xx. " vxorem ducere potest, femina absens nubere non potest. " Cuius differentiæ hanc interpres rationem adfert, quòd in absentis domum vxore à parentibus eius vel amicis deducta nuptiæ celebrari possunt. Quod idem fieri non potest, vbi à viri domo vxor abest, quemadmodum à Constantino li. iiii. Proch. Tit. iiii. belle explicatur. Ceterùm vespere in maritorum domum vxores transferebantur, tædis ac facibus præeuntibus. Noctu enim nubebãt, quemadmodum Sex. Pomp. lib. xiiii. notat, Eaque ratio est, cur in Catulli epithalamio noctem imminere pueri puellæque moneant. Velatæ item domum deducebantur, vt Tertullian. in lib. de virginib. velan. tradit [illegible] lientésq; domus postes inungebant. Ex quo & vxo[illegible] fluxisse Donatus in Terentium credit. & Isido[illegible] ym. can[illegible]bat. Sed hæc aliàs.

[illegible]

[illegible] xem[illegible] tiqua seruitutum reci-
[illegible] formula.

[illegible]

Cap. XIX.

IN legibus mancipiorum qualiter olim ſeruitutum receptio fieret, ſcitu ac cognitione dignum eſt. Id quod ego aliquot exemplis planum faciã. Vnum ſumetur ex l. qui libertatis in fine. D. de euict. ITINERA, ACTVS, QVIBVS SVNT VTIQVE SVNT. Alterum ex l. ſi ſeruitus. D. de ſeru. vrb. præd. quæ ſeruitutẽ luminum ita recipi ſolitam indicat. LVMINA VTI NVNC SVNT, ITA SINT. Quod in Cicerone quoq; lib. i. de Orat. obſeruari poteſt. Quo quidem, ait, in genere, » familiaris noſter M. Bucculeius, homo neque meo iudicio » ſtultus, & ſuo valde ſapiens, & à iuris ſtudio non abhorrens, » ſimili in re quodammodo nuper errauit. nam cum ædes L. » Fuſio venderet, in mancipio lumina vti tum erant, ita rece» pit. Alterum promemus ex l. ſi arborem. §. hæc lex traditionis. D. de ſeruit. vrban. de ſtillicidii ſeruitute. STILLICIDIA VTI NVNC SVNT, ITA SINT. & ex l. cum in lege. D. de contrah. emp. FLVMINA, STILLICIDIA VTI NVNC SVNT, VT ITA SINT. Quod etiam à Varrone lib. iiii. de lingua Lat. notatur. Fluuius ait, quòd fluit, item flumen, à » quo lege prædiorum vrbanorum ſcribitur, ſtillicidia flumi» náque, vt ita fluant cadántque. Poſtremum nobis ſuppeditat » l. cum debere. D. de ſeruitutib. vrb. præd. PARIES ONERI FERVNDO VTI NVNC ITA SIT. Conſtantin. lib. i. epi. tit. ix. exemplum huius formulæ huiuſmodi Græcè profert, οἱ σταλαγμοὶ τῶν κεραμῶν, καὶ αἱ παραθυραὶ ὡς εἰσὶν σήμερον ἔστωσαν. Generalem vero receptionem Herennius Modeſtinus in l. quæro. D. de act. empt. ita conceptam profert. SERVITVTES SI QVAE DEBENTVR DEBEBVNTVR. quam Vlpianus ita concipit. QVIBVS EST SERVITVS VTIQVE EST. l. quidquid. D. commun. prædi. & de his ſeruitutum exceptionibus accipiendum eſt illud Siculi Flac» ci in libro de condicionibus agrorum. Priuatæ itaque, ait, » viæ ad finitiones agrorum non pertinent, ſed ad itinera eis » præſtanda, quæ ſub exceptione nominari in emptionibus » agrorum ſolent.

Explicatur Pomponij in l. ij. de origine iuris locus.

CAP. XX.

IVs Ciuile per multa secula inter sacra cerimoniásq; Deorum abditum, solisq; Pōtificibus notum fuisse Cicero pro Muræna, & Valerius Maximus lib. ii. cap. i. scribunt. Ex quibus quemadmodum noster Pomponius in l. ii. §. deinde ex his D. de orig. iur. ait, constituebatur, quis quoquo anno præesset priuatis: quæ verba nōdum quisquam ex animi mei sententia interpretatus est. Nam male qui verbi Præesse vim cognitam nō habebant, pro priuatis, priuatus emendarūt. Vsus est verò eo vocabulo & idem auctor aliquot pòst interiectis versibus. Augescente, inquit, ciuitate, & qui præerant, genera « agendi composuerunt. Ego autem præesse, iuri dicundo pręesse, actionésq; & iudicia dare interpretor, & ita quoq; accipi contendo apud Ciceronem lib. i. de Oratore. in eo Crassi sermone, qui vt ab homine iuris perito ex medio foro petitis verbis contexitur, multísq; præessem, inquit, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manu consertum vocarent. Quod ita accipio, vt philosophorum artem cum iuris ciuilis scientia non esse conferendam æquandámq; sentiens, de ea re si controuersia incidat, multus se iudicia constituturum significet, qui actione vel interdicto cum iis congredi non dubitent. Et ea quidem verba sic à plerísq, intelligi audio, quasi patrocinio suo defensurum se, consilióq; instructurum in eam contentionem descendentes, Crassus sentiat, quam illi esse verbi Præesse vim existimant: cui quantum ex antiqua Latinè loquendi consuetudine coniicere ac meminisse possum, in hac sententia locus non est: tam enim causarum actores, quàm consultos, qui litigantibus iuris sui persequendi vias tradebant, & ius causarum actoribus, vt cum Asconio loquar, suggerebant, adesse, non præesse dicebantur. Possunt innumerabilia de hac significatione auctorum loca proferri, illustriora aliquot, ex quibus hoc apertè ostendatur, proposuisse contentus ero. Cicero pro Cæcinna: Hoc loco percommodè cecidit, quod non adest is, qui pau-

lò antè adfuit,& adesse nobis in hac causa solet Gaius Aquilius. Idem in Topicis: Priuata iudicia maximarum quidem rerum in iure consultorum mihi videntur esse prudentia: nam & adsunt multùm,& adhibentur in consilio,& patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus hastas ministrant. Quintilianus lib. vltimi cap. iii. Quid si fortè iurisperitus illi non aderit? Adde quòd in Pomponio ea quæ Ciceroni adstruitur, ferri interpretatio non potest: nec enim verisimile est Pontifices tela agentibus subministrasse, aut iudicio contendentibus adfuisse. Et nostram interpretationem hæ quoque phrases comprobant, quæ in Cicerone nostrísq; auctoribus crebrò occurrunt. Quæstioni, iudicio, iurisdictioni præesse l. qui iurisdictioni. D. de iurisdict. omnium iud. l. qui neque. D. de iudic. l. j. §. postulare. D. de postul. l. vlti. D. de aq. & aq. pluuia.

FINIS.

B. BRIS-

FRANCISCO BRISSONIO F. FONTENAIENSIS PRÆFECTVRÆ paredro B. Briſſonius F. S.

SEMPER *mihi curæ fuit, Pater, iuris ciuilis ſcientiam, ad quam ab ineunte penè ætate animi quadam inductione ſum delatus, cum optimarum artium ſtudiis coniungere, & adſcitis vndiq; ornamẽtis illuſtrare. Hoc cùm mihi benè ac feliciter eueniſſe ſentiam, idem aliis vt faciant, auctor eſſe non dubitabo. Itaque aptiſsimum hoc & accommodatiſsimum efflorescenti noſtræ ætati ſcribendi argumentum ratus, feci non inuitus, vt ex his quæ à me in eo genere obiter notata erant, paucula quædam capita ſubſeciuis horis delibarem. Quæ cùm doctiſsimis hominibus, quorum apud me plurimum auctoritas valet, non indigna viderentur quæ exirent, nihil putaui alienum me à meo pudore facturum, ſi meum in ornando iure ciuili ſtudium diuulgato libello profiterer. Idq; cò feci libentiùs, quòd apud te, cui non negotii tantùm, ſed & otii noſtri rationem conſtare volo, teſtatum relinquere cuperem, quibus in ſtudiis quod à forenſibus exercitationibus datur, tempus conſumam. Hoc conſilio tibi iſtæ noſtrorum ſcriptorum primitiæ offeruntur: quas etiam abſque vlla nuncupatione noſtra rectè vindicares, cuius ſumptu, cura, diligentia à prima pueritia liberaliter educatus, & in celeberrimis Galliæ ſcholis inſtitutus, ſi quid ſim adſecutus (quod perexiguum eſſe non diffiteor) eius tu fructum à me repetere tuo iure potes. Quod ego ita eſſe planè adgnoſco: nec iam obſcurè diſsimulo, ſed apertè præ me fero cupiiſſe me aliquod meæ in te obſeruantiæ fixum ad memoriam ſempiternam monumẽtum extare. Eaq; res facit vt ſi minus ex his ſcriptis, ingenii laudem, pii certè animi & officioſæ voluntatis prædicationem ab æquis æſtimatoribus me conſecuturum non deſperem. Vale, Lutetiæ Pariſiorum Kalend. Iul.*

M. D. LVI.

B. BRISSONII SELECTARVM EX IVRE CIVILI ANTIQVITATVM

Liber secundus.

De ordine exercendorum publicorum iudiciorum.

Cap. I.

ORDINEM exercendorum publicorum iudiciorum capitalium in vsu esse desiisse, hodieq; de criminibus publicis extra ordinem quæri, non semel Iureconsulti scribunt. l. ordo. D. de publ. iud. l. in senatusconsultum. §. i. D. ad Turpillia. l. 1. §. vl. l. hodie. D. de pœn. Inde admonitus veterem capitalium quæstionum exercendarum formam exponere institui: rem mehercle ancipitem ac dubiam, maximisq; tenebris inuolutam: sed cuius cognitio non minùs vtilis, quàm iucunda futura est. Primum autem ad Quæsitorem, cui iudicii exercitio obtigisset, rei nomen deferebat is, qui accusare paratus erat, idq; recipi postulabat, & qua lege reum faceret profitebatur. Subscribebat deinde in crimen, id est, vt Vlpian. in l. iii. § item. subscribere interpretatur, libello subscribebat se professum esse. Quæ res eum similitudine supplicii obstringebat. Hæc Seneca paucis
„ comprehendit in lib. de Morte Claudii, Ducit, ait, illum ante
„ tribunal Æaci. Is lege Cornelia, quæ de sicariis lata est, quæ-
„ rebat. postulat nomen rei recipi. edit subscriptionem. Subscribebant verò cum accusatoribus & alii, vt ex Asconio ad fi. Milonianæ & Cornelianæ, & ex ipso Cicerone in Diuina-

tio.liquet. Sic Paterculus libro posterio. Quo tẽpore Capito "patruus meus Agrippę in Cassium subscripsit. Cęlius lib.viii. "Epist. Cicer. Itaque sine vllo subscriptore descendit, & Tuc-"cium reum fecit. Tacit.lib.i. Nec multo post Granium Mar-"cellum Quæstorem Bithyniæ Quæstor ipsius Cepio Crispi-"nus maiestatis postulauit subscribente Romano Hispone. "Sueton.in lib.de clar. Rhetorib. Donec ob ingenium & stu-"dium manumissus accusanti patrono subscripsit. Auctor vi-"tæ Attici, Neminem quoq; suo nomine neq; proscribens ac-"cusauit. Reo autem ad Prætorem tracto ita accusatio Ascon. "in ii. Verrin. auctore instituebatur: accusatore verbi gratia ita dicente, Aio te Siculos spoliasse, Aio te Clodium occidisse. Quòd si reus silentio ac taciturnitate excipiebat, nec quicquam contradicebat, lis æstimabatur vt victo: sin negabat, à magistratu dies inquirendorum criminum petebatur. Et hoc modo reus legibus interrogari dicebatur. Cic. pro Domo sua. Quis me vmquam vlla lege interrogauit, quis postulauit, "diem dixit? Sallust. in Catil. coniuratio. P. Antonius & Pub. "Sylla designati Coss. legibus ambitus interrogati sunt. In "terrogatio enim non ad magistratum, sed ad accusatorem "refertur, vt idem Sallust. alio eiusdem libri loco indicat. Ipse, ait, Plautia lege interrogatus erat ab L. Paulo. Liuius lib.xlv. Sed postero die quam triumphatum est priuatum cum visu-"rus esset, nomen deferret & legibus interrogaret. Tacit. lib. "xiiii. Damnatus iisdem Coss. Tarquin. Priscus Bithynis interrogantibus. Idem lib.xvi. Quæ obliterari non sinebat Capito Cossutianus præter animum ad flagitia præcipitem inimicus Thraseæ, quòd auctoritate eius concidisset, iuuantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant. Post eam vero interrogationem in reatu reus constitutus dicebatur, si Asconio credimus, qui Reum fieri nihil aliud esse ait, quàm apud prætorem legibus interrogari. Incidebat verò nonnumquam de accusatore constituendo contentio, pluribus certatim ad accusationem cuiiibet è populo patentem vel præmii spe, vel laudis studio, vel priuatarum inimicitiarum causa prosilientibus. Cuiusmodi in accusatione Verris inter Ciceronem & Cæcilium cõtrouersia extitit. Super ea re iudiciũ ipsis quæstionũ iudicibus cognoscẽtibus

nupt. indicat, statim subsequebatur. Tacitus lib. xj. Orationem principis secuto patrum consulto primi Hedui senatorum in Vrbe ius adepti sunt: Exemplo erit Senatuscõsultum de petitione hereditatis, quod ad orationem Hadriani factũ ex l. item veniunt. ∮. præter. l. illud. l. si & rem. D. petit. heredit. & l. i. C. eodem tit. perspicuè intelligimus. Atque hinc fit, vt quod vno in loco oratione inductum traditur, id aliàs Senatusconsulto circa vllam planè pugnam atque discordiã tribuatur. Vt ecce, de alimentis testamento relictis sine Prætoris auctoritate transigi interdum oratione, interdum Senatusconsulto prohibitum dicitur. l. cùm hi. D. de transact. l. eleganter. § i. D. de condict. in deb. Alienatio rerum minoris oratione & Senatusconsulto interdicta promiscuè dicitur i. & l. non fit D. de rebus eor. l. i. l. si ad resoluendam. C. de præd. min. l. 2. C. si quis ignor. rem. minor. Et quòd Senatusconsulto Orphitiano plerumque vindicatur, oratione Imperatorum Antonini & Commodi in senatu recitata factum Vlpianus in Inst. tit. xxvi. & Caius in l. penult. D. ad Senatusc. Tertyllian. scribunt. Amplius quod Senatusconsulto cautum constitutumq; crebrò legimus, ne tutor pupillam vel sibi vel filio suo, nuptum collocet. l. i. C. de interd. matrim. l. amplissimi. C. de excus. tut. l. Senatusconsulto. l. libertũ. §. i. D. de rit. nup. l. vlt. D. de lega. i. l. 2. D. de his quæ vt indig. l. pupillam. D. ad leg. Iul. de adulter. id orationi D. Marci adscribitur in l. si quis tutor. §. quamuis. & l. non solum. ∮. sed etsi filius fam. D. de rit. nupt. l. licet C. de excus. tut. Quæ omnia ea ratione non esse contraria defendetur, quòd Senatui eorum censendorum orationibus in senatu recitatis Imperatores auctores fuerint.

De Quæstorum sub imperatoribus munere.

Cap. XVII.

VOvet me proximè habitus de orationibus principum sermo, vt de Quæstorum officio, per quos eæ plerumque recitabantur, quæ legẽdo adnotaui, in medium adferam, eoq; magis quod inde

lex j. D. de offic. Quæstoris, illustrabitur, in qua Quæstores libris principalibus epistolisq; in senatu legendis vacasse, & Candidatos principis appellatos Vlpianus scribit: quo sensu Canditati nomen apud Velleium Paterculum lib. posteriore accipiendum censeo, cùm ita ait: "Quo tempore mihi fratriq; meo Candidatis Cæsaris proximè à nobilissimis ac sacerdotibus viris destinari Prætoribus contigit." Fuisse verò hoc Quęstorum sub Cæsaribus munus, vt orationes Cæsarum recitarent, multa declarant: Illud imprimis, quod Suetonius Neronem refert præterito Quæstoris officio per Consules plerũq; recitasse. Cuius & illud est in Tito cap. vi. Recepta ad se prope omnium officiorum cura, cùm patris nomine & ipse epistolas dictaret, & edicta conscriberet, orationesq; in senatu recitaret, etiam Quæstoris vice præfecturam quoque prætorii suscepit. Tacitus lib. xvi. "Inter quorum aspectus & minas ingressi curiam senatores & oratio principis per Quæstorem eius audita est." Dion lib. l. liiij. συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον, αὐτὸς μὲν οὐδὲν εἶπεν ὑπὸ βράγχου, τὸ δὲ βιβλίον τῷ ταμιείᾳ ἀναγνῶναι δοὺς, τά τε πεπραγμένα οἱ κατηριθμήσατο. Idem lib. lix. de Claudio. καὶ οὐ πάντα ὅσα ἐς τὸ συνέδριον ἐσέφερεν, αὐτὸς ἀνεγίνωσκεν, ἀλλὰ τῷ ταμιείᾳ τήν γε πρώτην καὶ παρὼν ὡς γὲ πλήθει ἀναλέγεσθαι ἐδίδου. Apud Cassiod. lib. vj. histor. Tripart. ca. j. ex Socrate traditur, solum Iulianum à Iulio Cæsare in curia senatui orationes recitasse: sed hæc verba Græco Codice Socratis nõ habētur, sed hæc dumtaxat, ὅτι διανυκτερεύων λόγους συνέγραφε, καὶ τούτους καθιὼν εἰς τὴν συγκλήτου βουλὴν λόγους ἐπεδείκνυτο. Nec verò ad orationes modo recitandas, sed & ad cetera omnia, quæ vel absentes, vel præsentes, si laborem recitandi fugiebant, senatui nota facere vellent, Quæstorum opera Principes vtebantur, vt ex his Suetonij verbis apparet; quæ sunt in Augusto, cap. lxv. De filia absens ac libello per Quæstorem recitato notum senatui fecit.

Obseruata quædam de vxorum ad viros deductione.
CAP. XVIII.

POSSVNT de antiquo nuptiarum ritu ex Pandectis nonnulla colligi: ne id quidem negligendum duxi, qui minuta quæque antiquitatis vestigia studiosè persequor, quod sæpe inter legendum occurrit, vxorem mariti domum deductam. l. si vxor. §. si minor. D. de adult. l. quæsitũ. D. de sponsal. l. ij. in fine. D. de priuileg. credit. l. hæc cõdicio. D. de condic. & demonst. l. si vt certo. §. interdum. D. commo. l. dotis promissio. l. cùm post. §. in domum. D. de iur. dot. l. cùm hic status. §. si quis sponsa. D. de donat. inter vir. l. ii. D. de his quæ vt indign. Quibus omnibus vetus Romanorum mos in mariti domum nouas nuptas traducendi demonstratur, qui etiam l. cum fuerit. D. de condit. & demonstrat. & l. penult. D. de donat. int. vir. & hisce, quos subieci locis, perspicuè comprobatur. Tacitus lib. xii. Nullo exẽplo deducta in domũ patrui fratris filia. Idem lib. xiii. huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit deductæ in domum in qua nihil nisi luctuosum haberet. Seneca lib. iiii. controuersiarum. Cùm infelici face ad dotalem suum noua nupta deduceretur, si qua fides est, exhorrui. Sidon. Appollin. lib. i. Epist. Et necdum tamen tota thalamorum pugna deferbuit: quia nondum ad mariti domum noua nupta migrauit. Augustin. lib. vi. de Ciuitate Dei cap. ix. Sed domum ducenda est, quæ nubit, adhibetur Deus Domiducus, sic enim eum deum, qui ei solemni deductioni præerat, appellabant, eiusmodiq; epitheto Marcianus Cap. lib. ii. de nup. Philologiæ Iunonem ornat. Ab hoc autem more manauit, quod dicimus vxorem ducere: nam id præcisè dicitur: etenim cùm dicimus, vxorem ducere, deest, domum. Plenè autem ac perfectè sic enuntiatur, Vxorem domum ducere. Terentius Hecy.

Nunquam se illa viua vxorem ducturum domum.

Et aliàs:

Vt ad pauca redeam, vxorem deducit domum.

Idem Phormi.

Dotem si accipiet, vxor ducenda est domum

Plautus Aulul.

Volo te vxorem domum ducere.

Et alio eiusdem Comœdiæ loco.

Vt indotatas ducant vxores domum.

Eodémq; modo Græci ἀγέσθαι γυναῖκα imminutè dicunt, apud quos ista quoque deductio in vsu fuit. Lysias in orat. de Eratosthenis cæde. ἐπειδὴ ἔδοξέ μοι γῆμαι, καὶ γυναῖκα ἠγαγόμην εἰς τὴν οἰκίαν. Pollux lib. iij. ὀνόμας. ὁ δὲ ἄγων τὴν νύμφην ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οἰκίας νυμφαγωγὸς ὁπότε μὴ ὁ νυμφίος μετήει, οὐ νενόμιστο δὲ μετιέναι τοὺς δευτερογαμοῦντας. Ab eadem etiam consuetudine & illud profectum est, quod Non. Marcell. not. Innubere à veteribus dictum pro transire, quòd quæ nuberent, ad maritorum domos transirent. Atque hac de causa absenti per litteras vel nuntium posse mulierem vtiliter nubere nostris placet, si in domum eius deducatur. Absentem verò mulierem ex litteris suis vel nuntio suo duci non posse, quia deductione in mariti domum quasi in domicilium matrimonij opus esset. l. mulierem. D. de rit. nupt. l. cùm post. ꝯ. in domum D. de iur. dot. Vir absens, ait Paulus lib. ii. sent. tit. xx. " vxorem ducere potest, femina absens nubere non potest. " Cuius differentiæ hanc interpres rationem adfert, quòd in absentis domum vxore à parentibus eius vel amicis deducta nuptiæ celebrari possunt. Quod idem fieri non potest, vbi à viri domo vxor abest, quemadmodum à Constantino li. iiii. Proch. Tit. iiii. belle explicatur. Ceterùm vespere in maritorum domum vxores transferebantur, tædis ac facibus præeuntibus. Noctu enim nubebãt, quemadmodum Sex. Pomp. lib. xiiii. notat. Eáque ratio est, cur in Catulli epithalamio noctem imminere pueri puellæque moneant. Velatæ item domum deducebantur, vt Tertullian. in lib. de virginib. velan. tradit, ingredientésq; domus postes inungebant. Ex quo & vxorum nomen fluxisse Donatus in Terentium credit. & Isidor. lib. ix. Etym. cap. vlt. probat. Sed hæc aliàs.

Exemplis demonstrata antiqua seruitutum recipiendarum formula.

CAP. XIX.

IN legibus mancipiorum qualiter olim seruitutum receptio fieret, scitu ac cognitione dignum est. Id quod ego aliquot exemplis planum faciã. Vnum sumetur ex l. qui libertatis in fine. D. de euict. ITINERA, ACTVS, QVIBVS SVNT VTIQVE SVNT. Alterum ex l. si seruitus. D. de seru. vrb. præd. quæ seruitutẽ luminum ita recipi solitam indicat. LVMINA VTI NVNC SVNT, ITA SINT. Quod in Cicerone quoq; lib. i. de Orat. obseruari potest. Quo quidem, ait, in genere,
» familiaris noster M. Bucculeius, homo neque meo iudicio
» stultus, & suo valde sapiens, & à iuris studio non abhorrens,
» simili in re quodammodo nuper errauit. nam cum ædes L.
» Fusio venderet, in mancipio lumina vti tum erant, ita rece-
» pit. Alterum promemus ex l. si arborem. §. hæc lex traditionis. D. de seruit. vrban. de stillicidii seruitute. STILLICIDIA VTI NVNC SVNT, ITA SINT. & ex l. cum in lege. D. de contrah. emp. FLVMINA, STILLICIDIA VTI NVNC SVNT, VT ITA SINT. Quod etiam à Varrone lib. iiii. de lingua Lat. notatur. Fluuius ait, quòd fluit, item flumen, à
» quo lege prædiorum vrbanorum scribitur, stillicidia flumi-
» náque, vt ita fluant cadántque. Postremum nobis suppeditat
» l. eum debere. D. de seruitutib. vrb. præd. PARIES ONERI FERVNDO VTI NVNC ITA SIT. Constantin. lib. i. epi. tit. ix. exemplum huius formulæ huiusmodi Græcè profert, οἱ σταλαγμοὶ τῶν κεραμῶν, καὶ αἱ παραθυραὶ ὡς εἰσὶν σήμερον ἔστωσαν. Generalem vero receptionem Herennius Modestinus in l. quæro. D. de act. empt. ita conceptam profert. SERVITVTES SI QVAE DEBENTVR DEBEBVNTVR. quam Vlpianus ita concipit. QVIBVS EST SERVITVS VTIQVE EST. l. quidquid. D. commun. prædi. & de his seruitutum exceptionibus accipiendum est illud Siculi Flac-
» ci in libro de condicionibus agrorum. Priuatæ itaque, ait,
» viæ ad finitiones agrorum non pertinent, sed ad itinera eis
» præstanda, quæ sub exceptione nominari in emptionibus
» agrorum solent.

Explicatur Pomponij in l.ij.de origine iuris locus.

CAP. XX.

IVs Ciuile per multa secula inter sacra cerimoniásq; Deorum abditum, solísq; Pótificibus notum fuisse Cicero pro Muræna, & Valerius Maximus lib.ii.cap.i.scribunt. Ex quibus quemadmodum noster Pomponius in l. ii. §. deinde ex his D.de orig.iur.ait, constituebatur, quis quoquo anno præesset priuatis: quæ verba nódum quisquam ex animi mei sententia interpretatus est. Nam male qui verbi Præesse vim cognitam nó habebant, pro priuatis, priuatus emendarût. Vsus est verò eo vocabulo & idem auctor aliquot pòst interiectis versibus. Augescente, inquit, ciuitate, & qui præerant, genera " agendi composuerunt. Ego autem præesse, iuri dicundo præesse, actionésq; & iudicia dare interpretor, & ita quoq; accipi contendo apud Ciceronem lib. 1. de Oratore. in eo Crassi sermone, qui vt ab homine iuris perito ex medio foro petitis verbis contexitur, multísq; præessem, inquit, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manu consertum vocarent. Quod ita accipio, vt philosophorum artem cum iuris ciuilis scientia non esse conferendam æquandamq; sentiens, de ea re si controuersia incidat, multis se iudicia constituturum significet, qui actione vel interdicto cum iis congredi non dubitent. Et ea quidem verba sic à plerísq, intelligi audio, quasi patrocinio suo defensurum se, consilióq; instructurum in eam contentionem descendentes, Crassus sentiat, quam illi esse verbi Præesse vim existimant: cui quantum ex antiqua Latinè loquendi consuetudine coniicere ac meminisse possum, in hac sententia locus non est: tam enim causarum actores, quàm consultos, qui litigantibus iuris sui persequendi vias tradebant, & iis causarum actoribus, vt cum Asconio loquar, suggerebant, adesse, non præesse dicebantur. Possunt innumerabilia de hac significatione auctorum loca proferri, illustriora aliquot, ex quibus hoc apertè ostendatur, proposuisse contentus ero. Cicero pro Cæcinna: Hoc loco percommodè cecidit, quod non adest is, qui pau-

lò antè adfuit,& adesse nobis in hac causa solet Gaius Aquilius. Idem in Topicis: Priuata iudicia maximarum quidem » rerum in iure consultorum mihi videntur esse prudentia: » nam & adsunt multùm,& adhibentur in consilio,& patronis » diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus hastas » ministrant. Quintilianus lib. vltimi cap. iii. Quid si fortè iurisperitus illi non aderit? Adde quòd in Pomponio ea quæ Ciceroni adstruitur, ferri interpretatio non potest: nec enim verisimile est Pontifices tela agentibus subministrasse, aut iudicio contendentibus adfuisse. Et nostram interpretationem hæ quoque phrases comprobant, quæ in Cicerone nostrísq; auctoribus crebrò occurrunt. Quæstioni, iudicio, iurisdictioni præesse l. qui iurisdictioni. D. de iurisdict. omnium iud. l. qui neque. D. de iudic. l. j. §. postulare. D. de postul. l. vlti. D. de aq. & aq. pluuia.

FINIS.

B. BRIS-

FRANCISCO BRISSONIO F. FONTENAIENSIS PRÆFECTVRÆ paredro B. Brissonius F. S.

SEMPER mihi curæ fuit, Pater, iuris ciuilis scientiam, ad quam ab ineunte penè ætate animi quadam inductione sum delatus, cum optimarum artium studijs coniungere, & adscitis vndiq; ornamẽtis illustrare. Hoc cùm mihi benè ac feliciter euenisse sentiam, idem alijs vt faciant, auctor esse non dubitabo. Itaque aptissimum hoc & accommodatissimum efflorescenti nostræ ætati scribendi argumentum ratus, feci non inuitus, vt ex his quæ à me in eo genere obiter notata erant, paucula quædam capita subsecíuis horis delibarem. Quæ cùm doctissimis hominibus, quorum apud me plurimum auctoritas valet, non indigna viderentur quæ exirent, nihil putaui alienum me à meo pudore facturum, si meum in ornando iure ciuili studium diuulgato libello profiterer. Idq; cõfeci libentiùs, quòd apud te, cui non negotij tantùm, sed & otij nostri rationem constare volo, testatum relinquere cuperem, quibus in studiis quod à forensibus exercitationibus datur, tempus consumam. Hoc consilio tibi istæ nostrorum scriptorum primitiæ offeruntur: quas etiam absque vlla nuncupatione nostra rectè vindicares, cuius sumptu, cura, diligentia à prima pueritia liberaliter educatus, & in celeberrimis Galliæ scholis institutus, si quid sim adsecutus (quod perexiguum esse non diffiteor) eius tu fructum à me repetere tuo iure potes. Quod ego ita esse planè adgnosco: nec iam obscurè dißimulo, sed apertè præ me fero cupijsse me aliquod meæ in te obseruantiæ fixum ad memoriam sempiternam monumẽtum extare. Eaq; res facit vt si minus ex his scriptis, ingenij laudem, pij certè animi & officiosæ voluntatis prædicationem ab æquis æstimatoribus me consecuturum non desperem. Vale, Lutetiæ Parisiorum Kalend. Iul.

M. D. L VI.

B. BRISSONII SELECTARVM EX IVRE CIVILI ANTIQVITATVM

Liber secvndvs.

De ordine exercendorum publicorum iudiciorum.

Cap. I.

ORDINEM exercendorum publicorum iudiciorum capitalium in vsu esse desiisse, hodiéq; de criminibus publicis extra ordinem quæri, non semel Iureconsulti scribunt. l. ordo. D. de publ. iud. l. in senatusconsultum. §. i. D. ad Turpillia. l. i. §. vl. l. hodie. D. de pœn. Inde admonitus veterem capitalium quæstionum exercendarum formam exponere institui: rem mehercle ancipitem ac dubiam, maximisq; tenebris inuolutam: sed cuius cognitio non minùs vtilis, quàm iucunda futura est. Primum autem ad Quæsitorem, cui iudicii exercitio obtigisset, rei nomen deferebat is, qui accusare paratus erat, idq; recipi postulabat, & qua lege reum faceret profitebatur. Subscribebat deinde in crimen, id est, vt Vlpian. in l. iii. § item. subscribere interpretatur, libello subscribebat se professum esse. Quæ res cum similitudine supplicii obstringebat. Hæc Seneca paucis ,, comprehendit in lib. de Morte Claudii, Ducit, ait, illum ante ,, tribunal Æaci. Is lege Cornelia, quæ de sicariis lata est, quæ- ,, rebat. postulat nomen rei recipi. edit subscriptionem. Subscribebant verò cum accusatoribus & alii, vt ex Asconio ad fi. Milonianæ & Cornelianæ, & ex ipso Cicerone in Diuina-

tio.liquet. Sic Paterculus libro posterio. Quo tẽpore Capito " patruus meus Agrippę in Cassium subscripsit. Cęlius lib.viii. " Epist. Cicer. Itaque sine vllo subscriptore descendit, & Tuc- " cium reum fecit. Tacit.lib.i. Nec multo post Granium Mar- " cellum Quæstorem Bithyniæ Quæstor ipsius Cepio Crispi- " nus maiestatis postulauit subscribente Romano Hispone. " Sueton.in lib.de clar. Rhetorib. Donec ob ingenium & stu- " dium manumissus accusanti patrono subscripsit. Auctor vi- " tæ Attici, Neminem quoq; suo nomine neq; proscribens ac- " cusauit. Reo autem ad Prætorem tracto ita accusatio Ascon. " in ii. Verrin. auctore instituebatur: accusatore verbi gratia ita dicente, Aio te Siculos spoliasse, Aio te Clodium occidisse. Quòd si reus silentio ac taciturnitate excipiebat, nec quicquam contradicebat, lis æstimabatur vt victo: sin negabat, à magistratu dies inquirendorum criminum petebatur. Et hoc modo reus legibus interrogari dicebatur. Cic. pro Domo sua. Quis me vmquam vlla lege interrogauit, quis postulauit, " diem dixit? Sallust. in Catil. coniuratio. P. Antonius & Pub. " Sylla designati Coss. legibus ambitus interrogati sunt. In " terrogatio enim non ad magistratum, sed ad accusatorem " refertur, vt idem Sallust. alio eiusdem libri loco indicat. Ipse, ait, Plautia lege interrogatus erat ab L. Paulo. Liuius lib.xlv. Sed postero die quam triumphatum est priuatum cum visu- " rus esset, nomen deferret & legibus interrogaret. Tacit. lib. " xiiii. Damnatus iisdem Coss. Tarquin. Priscus Bithynis interrogantibus. Idem lib.xvi. Quæ obliterari non sinebat Capito Cossutianus præter animum ad flagitia præcipitem inimicus Thraseæ, quòd auctoritate eius concidisset, iuuantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant. Post eam vero interrogationem in reatu reus constitutus dicebatur, si Asconio credimus, qui Reum fieri nihil aliud esse ait, quàm apud prætorem legibus interrogari. Incidebat verò nonnumquam de accusatore constituendo contentio, pluribus certatim ad accusationem cuilibet è populo patentem vel præmii spe, vel laudis studio, vel priuatarum inimicitiarum causa prosilientibus. Cuiusmodi in accusatione Verris inter Ciceronem & Cæcilium cõtrouersia extitit. Super ea re iudiciũ ipsis quæstionũ iudicibus cognoscẽtibus

reddebatur, quod diuinationem Quintiliano Gellióq; testibus appellabat. Et hoc quoque ipsis publicorum iudiciorum legibus cautum fuisse auctor Rhetor. ad Herenn. lib. i. declarat, vt si reo commodum esset, iuditium de accusatore fieret, vtrùm illi accusare liceret. Rei nomine recepto, die plerúmq; decimo vtrúmque & accusatorem & reum, quantū ex Ascon. in comm. Cornelia. colligo, adesse Prętor iubebat: & spatium accusatori ad probationes conquirendas dabat, quemadmodum in Verris accusatione factum in Cicer. legimus. Tacit. li.
„ xiii. Syluanū magna pars accusatorum circumsteterat, poscebatq, tempus euocandorum testium. Plin. lib. iii. epist. ad Minutia. socios ministrósq, Classici detulerunt, nominatimq; in eos inquisitionem postularunt. Interdum autem ipsi reo inquisitio permittebatur. Patet hoc ex eo quod Tacit. lib.
„ xiii. Suillium repetundarum postulatū annuam inquisitionē impetrasse dicit, & quod Plin. lib vi. epist. ad Vrsum in senatu actum refert sub exemplo legis ambitus, an in futurum ad legem repetundarum adiiceretur, vt sicut accusatoribus inquirendi denuntiandíque testibus potestas ea lege esset, ita reis quoque fieret. Iam quod ad iudices attinet, eos prætor ex decuriis conscribebat, eorúmq; nomina in vrnam mittebat, & ex his numerum necessarium sortiebatur. Ex eo numero accusatori reóque integrum erat reiicere, quos ex aliqua causa suspectos haberēt. In reiectorum locum alios prætor subsortiebatur, quoad legitimus numerus (qui legibus quibusdam amplissimus definiebatur) conficeretur. His perfectis iureiurando conscripti iudices, vt Halic. lib. vii. ostendit, adigebantur: iurabántq; omnes in leges præter ipsum prætorem. Iuratorum nomina libellis consignabantur, & vbique habebātur: sed & in arca reponebātur, ne selectorum vice aliis corruptis suppositis fraus aliqua fieri posset. Quę omnia ab Asc. accuratè in ii. orat. in Verr. exponuntur. Die verò cognitionis iudices, accusatores & reos & patronos à præcone citari moris fuisse idē auctor in iii. Verr. cum Festo Pomp. lib. xvi. scribit.
„ Apuleius lib. iii. de Asino aur. Rursum præconis āplo boatu citatus accusator quidā senior exurgit. Valer. Max. lib. vi. cap. i. Citatus itaque Scantinius reus, vno teste qui tentatus erat, damnatus est. Quòd si citatus accusator neque respondisset,

neque excusatus esset, accusatus è reis eximebatur, quemadmodum diserte Cicer. IIII. in Verr. orat. & Pedia in Cornel. significant. Sin iudicio vtraque pars aderat, oratoribus dicendi potestas fiebat: citabantur testes, palamq; ac publicè interrogabantur. eorum quoque dicta in promptu refellebantur. Certa autem horarum momenta vtrique pro agenda causa legibus quibusdam definita erant. Causa vtrinque perorata præco dixisse oratores pronuntiabat, vt à Quintilian. lib. j. cap. v. & Ascon. in III. Verrin. scribitur: apud quem tamen pro præcone perperam, vt existimo, prætor subditus est. Tum in consilium iudices mittebantur, & ad sententiam dicendam dimittebantur. Tabellas autem accipiebant iudices absolutionis, condemnationis, & ampliationis litteris inscriptas ac signatas, earumq; aliquam, cùm in consilium missi fuerant, in cistam conicere necesse habebant, antequã eis lege Glaucia comperendinandi data est potestas. Atque ex hoc solemni ordine nonnihil Pompeia lex immutauit. Ea enim Asconio in Miloniã auctore, testes priusquam causa ageretur, per triduum audiri, dictaq; eorum à iudicibus consignari iussit: quarta dein die omnes in posterum adesse iuberi, ac coram accusatore & reo pilas, in quibus iudicum nomina inscripta essent, æquari: postera rursus die sortitionem iudicum fieri vnius & octoginta, qui numerus cùm sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent, accusatoriq; duæ ad dicendum horæ, reo tres darentur: illoq; ipso die reus iudicaretur. Ita tamen, vt priusquam sententiæ ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusatori, totidem reo reiicere liceret. De hac lege illud accipiendum est, quod initio lib. IIII. de Finib. Cic. ita scribit Cum ego te hac noua lege videam eodem die accusatori respondere, & tribus horis perorare. Et in Bruto, cum lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis ad causas simillimas inter se vel potius easdem noui veniebamus cottidie. Meminit & huius legis in Bruto: qua veluti « frenos eloquentiæ impositos Tacit. in lib. de Oratorib. dixit « ob conclusam tam exiguo temporis spatio causarum actionem. Quam obseruationem posterioribus temporibus neglectã reperio. Nã & Plinius lib. II. epistol. Arriano, horis pene quinque egisse se narrat. Sed & antiqua illa omnis iudicio-

rum solemnitas, occupata & euersa ab Imperatoribus populi libertate, ex vsu excessit.

De veteri concipiendarum sententiarum formula.

Cap. II.

VETERIBVS vsitatum in concipiendis & ferendis siue recitandis sententiis morem hunc fuisse, quæ iurati iudices cognouissent, ea non vt esse facta, data, promissa; sed facta, data, promissave videri pronuntiarent. Budæus ex Cicero. Acad. iiii. & Plinio lib. xiiii. cap. xiii. & l. i. §. i. D. ad Turpillian. obseruauit. Quod ego aliis Iureconsultorum aliorumq; auctorum locis confirma-" bo. Papinian. in l. ob hæc. D. de his qui notant. infam. Ob " hæc verba ait, sententiæ præsidis, *Callido commento videris accusationis instigator fuisse*. Refertur & in l. proxime. D. de his, quæ in test. delent. sententia Prudente & Pollione Coss. ab Antonino Aug. dicta in hæc verba: *Cùm Valerius Nepos mutata voluntate inciderit testamentum suum, & heredum nomina induxerit, hereditas eius secundum Diui patris mei constitutionem ad eos, qui scripti sunt, pertinere non videtur.* Cicer. iiii. in Verr. Actio. Vix " hoc ille dixerat, cùm iste pronuntiauit Sthenium litteras pu-" blicas corrupisse videri. Et paulo post. Omnium sententia " pronuntiatum est, Non videri Sthenium impediri edicto. " Sallust. in Catilin. coniuratio. Consulente Cicerone fre-" quens Senatus decreuit Tarquinii iudicium falsum videri. " Tacit. lib xiiii. Pronuntiemus vltrò dominum iure cæsum videri. Festus etiam lib. xv. ita veteres cùm capitis condemnabant, pronuntiasse tradit, Parum cauisse videri. Centũuiralem quoque in querela inofficiosi testamenti pronuntiationem, ex Plinio lib. v. Epist. ad Seuer. hoc modo conceptam fuisse intelligimus, Videri patrem iustas irascendi filio causas habuisse. Idem in senatusconsultis, augurumq; ac pontificum decretis seruatum Liu. lib. xxiii. & lib. xxv. & Cic. lib. iiii. Epist. ad Attic. & auctor Rhetoric. ad Herenn. lib. i. demonstrant. Interdum tamen aliter quoque pronuntiasse iudices inuenio. Attilium namque Calatinum inter

Valerium & Luctatium iudicem sumptum ita pronuntiasse Valer.Max. lib.ii. cap.iii. refert, Itaque Luctati, quamuis adhuc tacueris secundum te litem do. Seneca in præfatio. lib. vii. Declamatio. Summa rei hæc fuit. Centumuiri dixerunt dare ipsos secundum aduersarium Albutii si iurasset Macer. in l. j. D. quæ sentent. sine appell. resci. Si iudex, ait, ita pronuntiauerit, *Cùm constet Titium Seio ex illa specie quinquaginta, item ex illa xxv. debere, idcirco L. Titium Seio centum condemno.* Vlpian. in l. in sententiis. D. de re iud. Si tamen, inquit, is qui petit summam expresserit, & iudex ait, *Solue quod petitum est*, vel *Quantum petitum est*, valere sententiam. Idemq; in l. quid tamen. §. Pomponius. D. de arbitr. incertæ sententiæ hæc exempla profert. *Quantum ei debes redde: Diuisioni vestræ stari placet, pro ea parte, quam soluisti creditoribus, accipe.* Proponitur & in l. si præses. D. pœn. ita interlocutus præses, *Vim fecisti.* Est & hæc irrogandæ relegationis expressa forma, *Illum prouincia illa, insulisq; illis relego.* Excedereq; debebit intra illum diem quo alludés auctor libelli iocularis de morte Claudij, Placet, " ait, mihi in eum seuerè animaduerti, nec illi rerum iudican- " datum vacationem dari, eumque quam primum exportari " cœlo intra dies xxx. excedere olympo. "

Vnde originem habuerit medicis concessa immunitas.

CAP. III.

VIx & serò nempe vltra sexcentesimum annū ab vrbe admodum condita si Plinio & Dioscoridi fidem habeamus Romæ medicina coli, & in aliquo pretio haberi cœpit, quam expectam etiam populū damnasse ait Plinius. Diu vt ingenuo homine indigna, neglecta & ad seruos libertinosq; ablegata est, quos solos ferè medicinam factitasse exemplis propè infinitis demōstrari potest. Ex quibus notiora & illustriora seligam. Sueton. de Nerone, In desperatione rerum, ait, mortem timore « appetitam ita expauit, vt haustum venenum pœnitentia euo- « muerit, medicumq; manumiserit, quòd minus noxium tem- « perasset. Quintilia. lib. vii. cap. ii. Pollio, inquit, contra ser- «

» uiſſe cum Piſauri dominis duobus,medicinam factitaſſe,ma-
» numiſſum alienæ ſe familiæ immiſcuiſſe. Seneca lib. iij. de
» Benefic.cap. xxiiij. Tenebatur incluſus Domitius, impera-
» uit medico,eidemq; ſeruo ſuo, vt ſibi venenum daret. Cicero denique in oratio. pro rege Deiota. Philippum medicum ſeruum fuiſſe non vno loco indicat. Dioſcorides auctoritate Catonis ſcribit populum Romanum ſexcẽtis ferè annis medicina braſſicæ vſum fuiſſe cum nondiu ad vrbem conueniſſent medici qui peregrina pigmenta ſecum attuliſſent, ſed ea tempeſtate militares viros glorioſos cicatrices gratuito olere curaſſe. Et ne noſtris omiſſis aliena laborioſius conſecter, huius quoque rei non obſcura dant indicia l. patronus. §. vlt. medicus. D. de oper. libert. l. alimenta. §. 1. D. de alim. leg. l. Seio. §. vlt. D. de annu. lega. l. Thais. §. Lucius. D. de fideic. lib. l. i. §. ſin autem. C. de com. ſer. man. Itaque & in familia medicos ſeruos artificum numero locoq; habitos ex Varro. lib. i. de re Ruſt. cap. xvi. & Galeno in lib. de Curatio. per ſang. miſsio. patet. Hinc eſt quod medico imperare dicantur ægroti. in. D. l. medicus & ſupracitato Senecæ loco, quib. adde alium eiuſdem Senecæ lib. 6. de benef. cap. 16. & alterum Ciceronis in Piſon. Sed & ei medico quem tecum
» duxeras imperaſti vt venas hominis incideret. Primus,
» quemadmodum Tranquilli auctoritate in Iulio cap. xlii. adductus, exiſtimo, Iulius Cæſar medicinam profeſſos Romæ ciuitate donauit. Auguſtus deinde cum Antonii Muſæ liberti opera graui ad periculoſo morbo afflictam valetudinem recuperaſſet, in beneficii præmium, laborisq; eximii mercedem, Muſæ ipſi præter magnam pecuniarum vim, aureorum annulorum ius, vniuerſo verò medicorum ordini à muneribus ciuilibus immunitatem dedit. Quod Dion lib. liij. his verbis rettulit. καὶ διὰ τοῦτο καὶ χρήματα παρά τε τοῦ Αὐγούστου καὶ παρὰ τῆς βουλῆς πολλά, καὶ τὸ χρυσοῖς δακτυλίοις (ἀπελεύθερος γὰρ ἦν) χρῆσθαι, τήν τε ἀτέλειαν καὶ ἑαυτῷ καὶ τοῖς ὁμοτέχνοις, οὐχ ὅτι καὶ τοῖς τότε οὖσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔπειτα ἐσομένοις ἔλαβεν. Hoc amplius, ſtatuam ei patres ære collato iuxta ſignum Æſculapii ſtatuiſſe Tranquillus auctor eſt, cuius beneficio Auguſtum conſeruatum. Plinius quoque lib. xix. cap. viii. & lib. xxv. cap. vii. & lib. xxix. cap. j. memorat. Atq; hiſce in Muſam

ſam collatis honoribus ornata medicina, paulatim ad aliquē amplitudinis gradum peruenit. Confirmata enim eſt Veſpaſiani, Hadriani, aliorumq; Imperatorum reſcriptis, medicis data ab Auguſto immunitas, l. vlt. in fin. D. de munerib. & honorib. tandemq; ad certum numerum reuocata, verentibus Imperatoribus ne eo propoſito præmio ad medicinam quiſque ciuilium munerum euitandorum cauſa animum adiungeret. Inde eſt quod Galen. lib. ix. de placitis Hippocrat. & Plato. quoſdam medicinam factitare ſcribit immunitatem & vacationem munerum eo nomine conſequebantur vel habebant. Itaque in ſingulis ciuitatibus medicorum, qui immunitate fruerentur, numerum definiri placuit, qui & decreto ordines probarentur: eaq; de re Modeſt. epiſtolam Antonini Pij refert in l. vij D. de excuſat. tut. eiusq; ſtatuti numeri meminere l. j. D. de decret. ab ord. fac. l. j. & l. v. de profeſſorib. & med. lib. x. C. Nec tamen intra eum numerum qui erant ordine inuito, vt à Diocletia. ſæpius reſcriptum dicitur, immunitatem habebant. l. nec intra. C. de profeſſorib. lib. x. C. Quod argumēto eſt, decreto decurionū vel iis qui ſtatuto numero cōtinebātur, immunitatē tributam fuiſſe. Ceterùm valde artis ſuæ decus Commodi temporibus Clau. Galenus auxit, cui ſummos Romæ honores habitos, ſtatuamq; publicè poſitam ferunt. Sub Alexandro planè medicus vnus Palatinus ſalarium accepit: vt Lampridius in eius vita teſtatur. ceteri omnes qui vſque ad ſex fuerunt annonas binas aut ternas accipiebant. ſed & data medicis à ſuperioribus principibus beneficia Impp. Conſtantinus, Honor. & Theod. confirmarunt, quorum in Iuſtinianeo Theodoſianoq; Codice etiānum conſtitutiones extant. Quorum omnium veſtigiis inſiſtens Iulianus, oneribus municipalibus medicos Græca conſtitutione liberauit. quam ex eius Epiſtolis, quod ad rem faciat, hûc tranſcribere dignum putaui. τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην σωτηριώδη τοῖς ἀνθρώποις τυγχάνειν τὸ ἐναργὲς τῆς χρείας μαρτυρεῖ. διὸ καὶ ταύτην ἐξ οὐρανοῦ πεφοιτηκέναι δικαίως φιλοσόφων παῖδες ἐκηρύττουσι. τό γὰρ ἀσθενὲς τῆς ἡμετέρας φύσεως, καὶ τὸ τῶν ἐπισυμβαινόντων ἀρρωστημάτων ἐπανορθοῦται διὰ ταύτης. καὶ γὰρ κατὰ τὸν τοῦ δικαίου λογισμὸν, συνῳδὰ τοῖς ἄνωθεν βασιλεῦσιν, θεσπίζοντες κελεύομεν τῶν βουλευτικῶν λειτουργημάτων ἀνενοχλήτους ὑμᾶς τοὺς λοι-

τοὺς χρόνους διάγειν. Quæ constitutio etiam Latinè reddita extat in l. ratio æquitatis. de medic. & profess. in Cod. Theod.
„ lib. 13. cit. 3. his verbis, Ratio æquitatis exposcit vt veterum
„ priuilegia principum circa vos censeamus esse firmanda,
„ proinde nostræ mansuetudinis sanctione subnixi securi à
„ molestiis munerum pùblicorum reliquum tempus ætatis iu-
„ giter agitabitis. Hæc constitutio Latina ad Archiatros scribitur, illa Græca inscribitur νόμος περὶ ἰατρῶν. Non est ergo quod quemquam offendant hæc Iureconsulti verba in D. l. medicus cum multos haberet imperantes sibi. Varro lib. i. de re rust. cap. xvi. Coloni anniuersarios habent vicinos quibus imperant medicos, fullones, fabros.

Medicos olim χειρούργους fuisse demonstratur.

Cap. IIII.

QVONIAM in medicorum sermonem venimus prætermittendum non puto, idcirco ignobilius medicorum munus fuisse, quòd ipsimet manibus suis olim venas inciderent, medicamenta præberent, clysteres, emplastra, collyria admouerent, iisdemq; omnibus, quibus hodie chirurgi, partibus fungerentur. Cuius rei ex libris quoque nostris non dubia argumenta promi possunt: vel illud imprimis, quod aduersus medicum, qui imperitè seruum secuerit, ex locato, vel ex l. Aquilia actionem dari traditur in l. qua actione. §. vlt. & l. idem iuris. D. ad leg. Aquil. Et quòd in instrumento medici collyria, emplastra, ferramenta à Paulo poni legimus. in l. cùm de lanionis. §. in instrumento. D. de instruc. & inst. & lib. iij. Sentent. titul. ix. hoc idem aliorum quoque auctorum testimoniis perspicuè comprobatur, quorum me mùltitudo ipsa penè obruit. Cicer. in Piso. Sed ei medico, quem
„ tecum duxeras imperasti, vt venas hominis incideret. Dio
„ lib. lii. ὥσπερ οὐδὲ ὁ ἰατρὸς καύσας τινὰ καὶ τεμών. Lamprid. in Com-
„ modo. Imitatus est & medicum, vt sanguinem hominibus
„ mitteret scalpris feralibus. Capitolinus in Marco Anto. Phil. vel certe per medicum Posidippum, qui ei sanguinem intē-

pestiuè dicitur emisisse. B. August. lib. i. Musicæ. Nam & medicos audire soleo doctissimos viros sæpe in secandis vel quoquomodo comprimendis membris in eo quid manu ac ferro fiat ab imperitioribus antecedi. Quod genus curandi chirurgiam nominant. quo vocabulo satis significatur operaria quædam manibus medendi consuetudo. Arria.lib. 3. Epict.p. 21. ἰατρεῖν meminit quo nonnulli humero luxato atque apostemate laborantes accedebant. Galenus lib.v. de medendi ration. θεραπευταὶ μεθοδήσαντες, ait, τὸν βραχίονα τοῦ μέλλοντος αὐτὸν φλεβοτομεῖν ἰατροῦ συνέβη κυρτωθῆναι τὴν ἀρτηρίαν. Et mox, ὁ μὲν οὖν ἰατρὸς ἦν δὲ πάνυ νέος καὶ ἄπειρος τῆς τέχνης τῶν ἔργων ᾤετο διῃρηκέναι τὴν φλέβα. Idem lib. vi. ad fin. διατρίψας δ' ἐν ῥώμῃ τὰ πλεῖστα τῷ τῆς πόλεως ἔθει συνηκολούθησα, παραχωρήσας τοῖς χειρούργοις καλουμένοις, τὰ πλεῖστα τῶν τοιούτων ἔργων. Seneca lib. vii. epist. Numquid æger laudat medicum secantem? Accedat & Suet. in Nero. cap. xxxvij. locus. & quod Plin lib xxix. cap. j. scribit Artagathum, medicum à sæuitia secandi vrendiq; in carnificem transiisse. Galenus planè ipse in lib. de curatio. per sanguin. missio. venas se aperuisse aliquotiens narrat. Hinc & forcipes secandi causa medicis à Sosipatro tribuuntur, quos præterea vulneribus manus attulisse, & inunxisse, virilitatem excidisse, aliaq; omnia per se expleuisse, ad quæ aliena nunc opera vtuntur, vt aliquem modum faciam Plin. lib. vii. cap. iii. Seneca lib. iii. de ira. Gell. lib. xii. cap. v. Paul. lib. v. Sentent. titul. xxiiij. Vlpian. in l. iiii. §. vlt. D. ad legem Cornel. de sic probant.

Qui sint caligati milites, & vnde appellentur.

CAP. V.

PARVM liquet quo sensu caligati milites appellentur in l. ij. D. de not. insa. l. à caligato. C. de nup. l. de militibus. D. de custod. reo. l. omne. §. exploratores. D. de re milit. Idque in controuersiā à plerisque vocari scio. Iustinianus certè in Nou. quib. mod. natur. efficiant. legit. Caligatos viliores, & obscuriores, & quos gregarios dicimus, milites interpretatur. Quam interpretationem Suetonij verba hæc in Augusto. cap. 25. comprobant. Murales coronas quàm parcissimè & sine ambitione etiam

» caligatis tribuit. Idem in Caligula cap. 9. & in Vitellio: cap.
» 7. Veterẽ de se persuasionẽ Vitellius recentibus etiam de se
» experimẽtis auxerat, tota via caligatorum quoque militũ ob-
» uios exosculans: nec appellationis huius ratio obscura est. A caliga enim nomẽ ductũ est, quod vulgare fuisse cõstat vel infimi ordinis militũ calceamentum. Vnde & Imperatori Caio, Caligulæ cognomẽ tributũ Tacit. lib. j. & Dio. lib. lvii. vbi caligas ὑποδήματα στρατιωτικὰ vocat, tradũt, quòd in castris genit⁹, & cõtubernio legionũ eductus: plerũque ad conciliãda vulgi studia eo tegmine pedũ vteretur. Sic Ventidiũ Bassum iuuẽtã inopẽ in caliga militari tolerasse: & sic à caliga Mariũ ad consulatum perductũ Seneca lib. v. de Benefic. cap. xvi. & Plin. lib. vii. c. xliii. scribunt. Nec tamẽ gregarios solũ, sed & ipsos centuriones, ducesq; in castris caligatos fuisse indicio est, quòd Iulianũ centurionẽ caligas creberrimis atque acutis clauis ceterorũ militũ more fixas gestantẽ dũ strato saxeis crustis solo, curreret, lapsum Iosipp. lib. vii. de bello Iud. cap. iii. refert. Ex quo coniicio commune omnium, qui in castris versabãtur, id calceamẽtũ fuisse, quod & à Dione στρατιωτικὸν ὑπόδημα appellatur lib. 48. Sed enim in caligarũ ornatu facilè potuit elucere gregariorum & clariorum militum differentia. Clauis enim caligæ figebantur, iisq; vel ferreis, vel argẽteis, vel aureis, vt quisq; luxu atq; opibus diffluebat. Atq; in exercitu quidẽ Antiochi Syriæ regis tãtũ auri argentique fuisse, memoriæ à Val. l. ix. c. j. & Iustino l. xxxviii. proditum est, vt etiã gregarii milites caligas auro figerent. Caligares inde claui à Plinio l. 9. c. 18. & l. xxii. c. xxii. & l. xxxiiij. c. xiiij. & à Sosipatro l. j. Instit. grammat. & ab Isidoro. lib. xvi. cap. xx. memoratur. eoq; pertinere Iuuenalis iste versus creditur:
Et in digito clauus mihi militu hæret. & alibi, Millia clauorũ dicit.

Ab vrbe autem in castra transiisse eam auratorum clauorum luxuriam credibile est. Nam & vrbana calceamẽta eiusmodi clauis suffigi solita Plinius lib. xxxiij. cap. iii. Fest. lib. iii. & Isid. lib. xix. Etymol. cap. vlt. indicant. D. August. Tracta-
» tu. x. in Epistolam B. Ioannis, Et velut tibi aliquis osculari
» caput & calceare tuos pedes, forte caligis clauatur conteret
» pedes tuos. Et in Græcia quoq; eũdẽ luxũ viguisse ex eo apparet, quod Agnonem Teiũ Alexãdri magni præfectò aureis clauis crepidas suffigere solitũ Plini⁹ l. xxxiii. c. iii. scribit.

Milites vti fierent & de sacramento militari. CAP. VI.

EOs, qui militiæ nomen dabant, non priùs militum numero habitos, quàm iureiurando adacti, cincti, & in numeros relati essent, librorum nostrorum auctoritate comprobatur. Sacramenti certè militaris meminit l.ij.D.de priuileg.veter.l.miles.D.de adult.l.milites.§.missionum.l. vlt. D.de re milit.l. ij.§. ignominiæ.D.de his, qui not.infam. Milites enim sacramento rogati in Remp.iurare solebant vt plenam militiã haberent.cuiusquidem sacramenti fide rupta militis nomen amitti docet l. ex militari. D.de milit. test. Herodian. lib. vlt. Maximus milites ita affatur καὶ νῦν φυλάσσοντες τὸν στρατιωτικὸν ὅρκον ὅς ἐστι τῆς ῥωμαίων ἀρχῆς σεμνὸν μυστήριον. Hoc verò primum militiæ vinculum Seneca lib.xv. Epist. meritò appellat, quo qui nondum obstricti, aut etiam qui soluti essent, iure cum hostibus quemadmodum Catonis ad Popilium epistola à Cicer. lib. 1. Officior. & à Plutarch in Problemat. relata indicat, pugnare posse non videbantur. Seruius in viii. Æn. Sacramentum, inquit, legitima erat militia cum singuli milites iurabant. Primùm autem iureiurando milites fieri L. Flacco & Varrone Coss. cœpêre. Ante enim, ait Frontin. lib. iiii. Stratagemat. cap. i. sacramento tantùm à Tribunis rogabantur: ceterùm ipsi inter se coniurabant se fugæ atque formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi cibi petendi, feriendíue hostis, aut ciuis seruandi causa. Liuius lib. xxxii. Milites tunc, " quod numquam antea factum erat, iureiurando à Tribunis " militum adacti iussu Coss. conuentúros neq; iniussu abitu- " ros. Nam ad eam diem nihil præter sacramentum erat, id est Consulibus & senatui præstitum: de quo Halicar. lib. x. verba accipienda sunt: συναγαγὼν τὸ πλῆθος εἰς ἐκκλησίαν, εἶπεν ὅτι πάντες ὀμωμόκασι τὸν στρατιωτικὸν ὅρκον, ἀκολουθήσειν τοῖς ὑπάτοις ἐφ' οὓς ἂν καλῶνται πολέμους, καὶ μήτε ἀπολείψειν τὰ σημεῖα, μήτε ἄλλο πρᾶξαι μηδὲν ἐναντίον τῷ νόμῳ. Iureiurando verò scripti milites à Tribuno militari adactos fuisse in verba hæc, Gell. lib. xvi. cap. iiii. retulit in magistratu C. Lælij C. Filii Cos. L. Cornelii. P. Filii Cos. In exercitu, decémque millia passuum propè furtum non facies, &c. Atque hoc in legitima militia seruabatur; in tumultu enim singuli milites sacramento propter

imminentis periculi celeritatem non rogabantur, vt à Seruio in Vergil. Æneid. traditur. Ceterùm sub Christianis Imperatoribus ita conceptam iurisiurandi militaris formulam Veg. lib. ii. cap. v. ostendit, vt iurarent milites per Deum, Christum, & Spiritum sanctum, & per maiestatem Imperatoris, omnia se facturos quæ præciperet Imperator, numquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Rom. Republic. Addit Isidor. lib. ix. Etymol. cap. i. iurasse eos militia se nisi post completa stipendia non recessuros. id est, post impleta legitima militiæ tempora, quæ idem auctor xxv. annorum spatio definita scribit, secutus, credo, Seruiũ, qui in ii. Æneid. Vergilii idem tradit. Qua tamen in re variatum est. Augustum Tranquillus auctor est ad certam stipendiorum præmiorúmque formulam milites adstrinxisse, definitis pro gradu cuiúsque & temporibus militiæ, & cõmodis missionum. Tempora ea fuisse Dio lib. liiii. exponit, vt xii. annis Prætoriani milites, reliqui sexdecim militiæ obstricti tenerentur. Prætorias tamen cohortes Tiberio imperante post impleta demũ sexdecim stipendia missionem impetrasse, & cõmoda finitę militię accepisse, Tacit. lib. i. histor Aug testatur. Quod beneficium etiam Pannonicis Germanicisq; legionibus tumultus sedandi causa ab eodem Tiberio concessum, in posterum vero constitutum vt qui extra Italiam mererent non nisi per vinginti annos emerita stipendia missis daretur. cum reliquis extra Italiam militantibus non nisi post xx. annorum militiam missio daretur, Dio lib. lvii. refert. Tacitus lib. " i. Simul imparem oneri Remp. nisi vicesimo militiæ anno " veterani dimitterentur. Ita proximæ seditionis malè con- " sulta, quibus xvi. stipendiorum finem expresserant, abolita in " posterum. Quod & mansisse credo quando idem tempus sequentibus Imperatoribus probari video quibus post xx. annorum stipendia non ex causa ignominiæ missos veteranorum priuilegiis frui placet. l. i. C. de excus. veter. l. ii. de re milit. lib. xii. C. l. veteranus. C. quando prouoc. non est nec. l. vlt. C. de his qui non implet. stip. lib. x. Sacramento porrò milites etiam ante decursa stipendia honestè plerumque soluebantur valetudinis, vel ætatis iam ingrauescentis causa ex Imperatoris indulgentia missi facti l. ii. D. de priuil.

veter.l.ii.§.ignominiæ.D.de not.infa.

De militum cingendorum & discingendorum ratione.

Cap. VII.

Exposito militaris sacramenti ritu, consequens est, reliqua militiæ sollemnia à me initio huius sermonis proposita exequar. Cingi verò consueuisse eos, qui inter milites recipiebantur, ex l. penult. & l. Titius. & l. quod dicitur. §. i. D. de mil. test. facilè colligi potest. Id quod in his quoque qui Præfectura ornabantur, obseruatum fuisse indicio est, quod Xiphilinus de Traiano ita scribit: τῷ μέλλοντι τῶν δορυφόρων ἐπάρξειν, τὸ ξίφος ὃ παραζώννυσθαι αὐτὸν ἐχρῆν, ὤρεξεν, ἐγύμνωσέ τε αὐτό. Marcellin. lib. xxvi. Serenianus olim sacramento digressus, " recinctus est, vt Pannonius, sociatusq; valenti domesticorum " præfuit scholæ. Fluxit autem mos iste ex eo, quòd qui mili- " tabant, omnes cincti erant quemadmodum Seruius in ii. Æneid. Verg. tradit. Ex quo in procinctu facta testamenta, Festo interprete, dicebantur, quæ milites pugnaturi, vel vt planius Plutarchus, ὅταν περιζώννυσθαι ἔμελλον, præsentibus cõmilitonibus nũcupabãt: de quibus Cicero lib. j. de Orato. & lib. ii. de Natur. Deor. & Velleius Pater. lib. posteriore, vt alios notiores locos omittã, meminere. Nec verò in castris discinctus quis sine nota versabatur: quinimò hoc grande scelus, morteque piandum militaris disciplinę seueri cẽsores credebant, si quis ambulasset, aut vallum subiisset discinctus. Exẽplum Tacit. lib. xi. præbet. Cui adde ignominiæ militaris genus fuisse, vt discincti vel stare, vel opus facere milites cogerentur. Qua ignominia plerúmque milites suos adfecisse Augustum item & Marcellum suos Tranquillus narrat. cap. xxiiii. & Plutarch. in Lucullo. Eadémque ante eum coërcitione M. Curionem, & Marcellum vsos Frontinus lib. iiii. Stratagemat. cum Liuio prodidit. Itaque & eos qui sub iugum mittebantur, discinctos fuisse. Festus lib. ix. adnotat. Denique quemadmodum cingi, qui ad aliquam militiam promouebant, ita discingi, qui exauctorabantur, consueuerant,

Quod Herodia. lib. ii. demonstrat, cùm prætorianis militibus ob Pertinacis cædem irrogatam pœnam explicat. & Impp. recentiorum constitutiones satis docent, quæ cinguli ademptione militares viros sæpe multant. Postremò, in numeros milites referri debebant. Nam qui nondum in numeris erant, etiamsi lecti tirones essent, & publicis expensis iter facerent, nondum tamen milites habebantur. l. ex eo. D. de milit. testam.

De incendiorum cura apud Rom. & instrumentis ad arcenda incendia comparatis.

Cap. VIII.

VRBEM Romam incendiis obnoxiam fuisse nemo est in historicorum libris vel mediocriter versatus, qui nesciat. Eóque nomine à Martiali Epigr. lib. *Incendium*, hoc verbum ambitu nimium casus in vrbe frequens. His arcendis, apud vetustiores, quemad-
" modum Paul. in l. i. D. de offic. præf. vig. scribit, Triumuiri
" præerant, qui ab eo quòd excubias agerent, nocturni sunt appellati. Quorum muneri id incubuisse, vt noctu oborta incendia ne latiùs peruagarentur, restinguerent, ex eo perspicuè apparet, quod à Valer. Max. lib. viii. cap. i. relatum est, M. Militium, Cn. Lolium & L. Sextilium Triumuiros, quòd ad extinguendum Sacra via incendium tardiùs venerant, nec non Publium Bilium Triumuirum nocturnum, quòd vigilias negligentius circuiuerat, à Trib. pleb. die dicta ad populum damnatos esse. Sed & hoc perspicuè Liuius indicat lib.
„ xxxix. his verbis, Triumuiris, ait capitalibus mandatum est
„ vt vigilias disponerent per vrbem seruarent'q; ne qui noctur-
„ ni cœtus fierent, vtq; ab incendiis caueretur: de quibus etiam
„ accipienda sunt hæc eiusdem auctoris verba ex eodem lib.
„ vigiliarum nocturnarum curam per vrbem minoribus ma-
„ gistratibus mandauimus. Vnde Triumviratus nocturnus apud eumdem Liuium lib. x. ad fin. Interuenisse etiam nonnumquam Ædiles idem Paul. auctor est. Idq; negotii eis non semel ab Augusto datum addita etiam sexcentorum

seruo-

ſeruorum ad eam rem curandam familia in Dione legimus. Verba eius lib. liii. hæc ſunt: τοῖς δ' ἀγορανόμοις παραχρῆμα ἐπιμελεῖσθαί τι, ὅπως μηδὲν ἐμπιπρῆται, κἂν ἄρα τι τοιοῦτον συμβῇ, κατασβεννύναι τὸ πῦρ προσέταξε. Et lib. liiii. τοῖς δ' ἀγορανόμοις τοῖς κουρουλίοις τὴν τῶν ἐμπρηζομένων κατάσβεσιν ἐνεχείρισε. ἑξακοσίους σφισὶ βοηθοὺς δούλους δούς. Velleius quoque Paterculus lib. poſteriore Egnatium Rufum magnam in Ædilitate extinguendis priuata familia incendiis populi gratiam collegiſſe ſcribit. Verum enimuero pluribus ſimul excitatis incendiis, cùm ei oneri Ædiles non ſufficerent, maiori multitudine opus eſſe Auguſtus videns, ſeptem vigilum cohortes inſtituit qui per vrbis regiones diſpoſiti excubantéſque diurna, nocturnáq; incendia arcerent, vt idē Paul. in l. iii. D. de offic. præf. vig. & Sueton. in Aug. cap. xxv. & Strabo xxx. referunt. Incendiorum namque vigiles curam geſſiſſe docent „ hæc Senecæ verba epiſt. lxv. lib. viii. Interuenerant quidam „ amici propter quos maior furnus fieret, non hic qui erumpe- „ re ex lautiorum culinis & vigiles terrere ſolet. Atque has aduerſus incendia vigilum cohortes ex libertinis conſcriptas dato ex Equeſtri ordine præfecto, Dio lib. lv. commemorat. ἐπειδὴ, ait, ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ πολλὰ τῆς πόλεως πυρὶ διεφθάρη, ἄνδρας τε ἐξελευθέρους ἑπταχῆ πρὸς τὰς ἐπικουρίας αὐτῆς κατελέξατο, καὶ ἄρχοντα ἱππέα αὐτοῖς προσέταξεν, ὡς καὶ δι' ὀλίγου σφᾶς διαλύσων· οὐ μέντοι καὶ ἐποίησε τοῦτο. Strabo lib. v. Geograph. ἐπεμελήθη μὲν οὖν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ τῶν τοιούτων ἐλαττωμάτων τῆς πόλεως, πρὸς μὲν τὰς ἐμπρήσεις συντάξας στρατιωτικὸν ἐκ τῶν ἀπελευθέρων τὸ βοηθῆσον. Nec verò libertino milite alias temere vſum Auguſtum Tranquillus adnotauit. Sed enim hæc quamuis vrbana, grauis tamen ac dura libertinis viſa militia eſt: quam cùm plerique omnes detrectarent, eorum alliciendorum, continendorúmq; cauſa, Latinis, qui ſex annis in cohorte vigilum militaſſent pro præmio ius Quiritum lege Viſellia propoſitum fuit, poſtea etiam, cùm longius ſexennii tempus exiſtimaretur, Senatuſconſulto ad triennium redactum eſt, quemadmodum Vlpian. in Inſtitutio. tit. iii, ſcribit. Oberraſſe autem per vrbem præfectum vigilum calceatum cum hamis & dolabris, ſuprà citata l. iii. §. ſciendum, continetur: quæ fuiſſe inſtrumenta incendiis arcendis accommodata facilè omnes

coniiciunt, cùm ex illo Pauli loco, tum ex Plinii epiſtola, quam ad Traianum de Nicomedienſi incendio mittit, & ex l. quæſitum. §. acetum. D. de inſtru. & inſtrum. leg. Eoq; procul-dubio pertinet quod eſt apud Iuuenal. Sat. xiiii.

Diſpoſitu prædiues hamis vigilare cohortem
Seruorum noctu Licinus iubet. ---

Sed qualis tandem hama fuerit, non ſatis conſtat. ἄμη certè à Polluce lib. i. Onom. vt & à Cato. de re Ruſtic. cap. cxxxv. inter ἐργαλεῖα γεωργικὰ, à Suida verò inter οἰκοδομικὰ καὶ τεκτονικὰ ponitur. Et veriſimile eſt diſturbandis ædibus aptũ; vt & dolabram inſtrumentum fuiſſe. Quod etiam coniiciendum his Æſchinis verbis, quæ ſunt in Orat. contra Cteſiphont. relinquitur. δήλφυς ὅσοι ἐπιδόντες ἦσαν καὶ δούλους καὶ ἐλευθέρους ἥκειν ἅμα τῇ ἡμέρᾳ ἔχοντας ἄμας καὶ δικέλλας. Conſtantin. li. iii. Epitom. Tit. δ. ὑελουργοὺς καὶ σιδηρουργοὺς τοὺς ἐργαζομένους τὰς ἀξίνας καὶ τὰς ἄμμας, καὶ τὰ τοιαῦτα μεγάλα ὄργανα. Sed & ex hoc Apulei loco ex apol. i. deſumpto non fulcibus metenda ſed hamis inuncanda. ſic enim legendum eſt, non vt Pithæ. voluit ineſcanda. Poſſumus etiam (nam in re obſcura hariolari quid vetat?) hamas ſuſpicari vaſa maiora fuiſſe, quæ aqua vel aceto plena reſtinguendi ignis cauſa circumferrentur. Coniectura hæc illo argumento nititur, quod τῶν ὑποχοεικῶν hamula pro ampulla à Columella lib. x. & Apitio vſurpetur. Atq; ita etiam videtur Turnebo lib. xix. aduerſ. cap. xxiii. & Paulo Leopardo lib. ix. emendat. cap. xxii. ex hoc Iuuenalis loco è Sat. xiiii. *Diſpoſitu prædiues hamis*--- Prior tamen interpretatio plane probabilior fit adiũcto dolabræ verbo, cuius & in re ruſtica ad præfractas ſtirpes ſummáſq; radices, quibus ager arbuſto conſitus implicabatur refodiendas, & in re „ bellica ad vrbium expugnationem vſum fuiſſe Colum. lib. ii. „ cap. ii. & Tacit. lib. xix. ſignificant. His & ſifones adde, qui in genere incendiariorum inſtrumentorum habentur, hamíſq; à Plinio in ea ad Traian. epiſtola, de qua proximè memini, & ab Vlpian. in l. quæſitum. §. acetum. D. de inſtruc. & inſtr. adiunguntur. Sifones autem Iſidor. lib. vlt. Etymolog. cap. vj. vaſa appellata ſcribit. quę aquas ſufflando funderent, quibus aduerſus incendia Orientales populi vtebantur. Meminit ſifonis Columell. lib. iii. cap. x. & Seneca lib. ii. Natur. quæſtio.

Solemus, inquit, duabus manibus inter se iunctis aquam cõcipere, & compressa vtrinque palma in modum sifonis exprimere. Passim autem in ædibus sifones fuisse, qui subterraneis meatibus ductam aquam exprimerent, Strabo li. v. testis est. τοσοῦτον δ' ἐστὶ, ait, τὸ εἰσαγόμενον ὕδωρ διὰ τῶν ὑδραγωγείων, ὥστε ποταμοὺς διὰ τῆς πόλεως καὶ τῶν ὑπονόμων ῥεῖν, ἅπασαν δ' οἰκίαν σχεδὸν δεξαμενὰς καὶ σίφωνας καὶ κρουνοὺς ἔχειν ἀφθόνους. Acetum quoque ignis extinguendi causa parari & haberi olim consueuerat. l. quæsitum. ¶. acetum. D. de instrum. & instr. l. iii. ¶. penori. D. de penu leg. Cui rei aptissimum id esse, etiam Luitprandus li. iii. historiæ suæ cap. vi. ostendit, qui Græcum ignem nullo præterquam aceti liquore exstingui ait. Atque hæc fuere reprimendis ignibus subsidia, quæ vt in propatulo quisque haberet, Nero constituit: quemadmodum à Tacito lib. xv. scriptum est.

De seruis compeditis, deq; ergastulis.

CAP. IX.

PLACET veterum in custodiendis mancipiis morem referre, qui malos seruos, & quos fugæ suspectos habebant, neruo ac compedibus coërcere, vinctósq; continere consueuerant. Cuius rei in libris nostris vestigia quędam adgnosci possũt. l. eleganter. §. item Labeo D. de dolo, l. 1 §. pen. l. sed & si seruo D. de iniur. l. si vt certo. ¶. custodiam D. commod. §. vlt. Instit. de l. Aqui. § pœna autem. Inst. de iniur. Ac fugitiuis quidem cõpedes necti consueuisse indicat Plinianus iocus ad Roma. lib. vii. Epist. pollicens futurum te fugitiuum rei familiaris. statimq; ad nos euolaturum qui cum tibi compedes nectimus quas perfringere nullo modo possis. Ac ianitores quidem & hostiarii more antiquo in catena erãt, vt à Suet. in lib. de clariss. Rhetorib. traditur. Vnde Ouid. l. i. Amor. Eleg. vi.

Ianitor indigne dura religate catena,
Difficilem moto cardine pande forem. Et postea,
Exuite sic nunquam dura religere catena
Nec tibi perpetuo serua bibatur aqua.

Columella in præfat. librorum de re rustica. An putem for-

- tunatius à cantenato repulsum ianitore sæpe nocte fera fori-
" bus ingratis adiacere. Idem lib. xi cap. i. Itaque mancipia vin-
" cta, quæ sunt ergastulis per nomina quotidie citare debebit,
" atq; explorare vt sint compedibus diligenter innexa:
" tum etiam custodiæ sedes an tuta & recte munita sit. Sed alii quoque opus ruri facere vincti cogebantur: adeoq; alligatis mancipijs rura ferè omnia colebantur, quemadmodum Columella lib. j. cap. vlt. ostendit: ex quo illa apud Plinium lib. xviii. cap. iii. de imminuta agriculturæ dignitate querela. At
„ nunc, ait, eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inscripti
„ vultus exercent. Seneca lib. vii. de Benef. cap. x. O miserum, si
„ quem delectat sui patrimonii liber magnus, & vasta spatia
„ terrarum colenda per vinctos. Hinc etiam Ouid. in lib. de Ponto. Eleg. vii. ad Græcin. de spe loquens,

Hæc facit vt viuat fossor quoque compede vinctus,
Liberaq; à ferro crura futura putet.

Idem lib. iiii. Trist. Eleg. i.

Hoc est cur cantet vinctus quoq; compede fossor,
Indocili numero cum graue mollit opus.

Tibullus lib. ii. Eleg. vii.

Spes etiam valida solatur compede vinctum:
Crura sonant ferro sed canit inter opus. Lucanus p. 93.
--- vincto fossore coluntur
Hesperiæ segetes. --

Et Iuuenalis, Sat. xi.

Ipse focis breuibus præbebat opuscula quæ nunc
Squallidus in magna fastidit compede fossor.

Eandem rationem habet quod à Martiale lib. ix. Epigram. ita scribitur:

Vt Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager.

Ceterùm vincti hi serui vilarum ac possessionum ergastulis continebantur. Ac proinde Iuuenalis ergastula carcerē rusticum vocat lib. xiiii. Vnde Plinius ματαιωμικῶς coli rura ergastulis pessimū esse lib. xviii. cap. vi. pronuntiat. Et Senec. lib. iii. cōtrouersiar. sonantia laxi ruris ergastula dicit. Ideóq; Columella circūspectis patribusfam. diligēter recognoscēda ergastula, lib. i. cap. viii. præcipit, vt explorent, an diligenter

vincta ſint mancipia, an ipſæ ſedes cuſtodiæ ſatis tutæ ac munitæ. Adde locum eiuſdem Colum. lib. 3. in fin. In cellis ſeruos habitaſſe patet ex hoc Cicer. loco qui eſt Philipp ii. Conchyliatis Cn. Pompei periſtromatis ſeruorum in cellis ſtratos lectos videres. Horat. Sat. viij. lib. i.

Huc prius anguſtis eiecta cadauera cellis
Conſeruus vili portandum locabat in arca.

Erant verò eæ ſeruiles cellæ obſcuræ, & quantum ex eodẽ Columella & Cato. coniicio, ſubterraneæ, quibus plerumque indigniſſimè liberi quoque homines ſupprimebantur. Eaq; de cauſa Auguſtum primum, mox & Tiberium recognoſcendorum repurgandorumq; ergaſtulorum curam ſuſcepiſſe Suet. in eorum vita narrat. Cum iis, raptos per agros viatores ſine diſcrimine liberos, ſeruosq; ſuppreſſos iniuſta ſeruitute detineri fama diſtuliſſet. Atque hæc qui ſecum reputabit omnia, minus mirabitur à Salluſtio in proœmiò Cõiuratio. Cat. agriculturam ſeruile officium appellari, cùm rura iam, vel frugi ſeruis (quales ſe omnes habere in prædiis ſuis Plin. Rufo. lib. iii. epiſt. ſcribit) vel vinctis colerentur. Qua de re querens Columella ita conqueritur in præfatione librorum de re ruſtica. Nec poſt hæc reos intemperantia cœli nobis iſta, ſed noſtro potius accidere vitio qui rem ruſticam peſſimo cuiq; ſeruorum velut carnifici noxiæ dedimus quam maiorum noſtrorum optimus quisq; optime tractauerit. Et poſtea. Nunc & ipſi prædia noſtra colere dedignamus & nullius momenti ducimus peritiſſimum quemq; villicum facere, ſed vt mox ſubiungit ſiue fũdum locuples mercatus eſt è turba pediſequorum, lecticariorumq; defectiſſimum annis & viribus in agrum relegat, ſiue med arum facultatum dominus ex mercenariis aliquem iam recuſantem quotidianum illud tributum qui vectigalis eſſe non poſsit ignarum rei qui præfuturus eſt magiſtrum fieri iubet. Nec alio apud Græcos loco agricultura fuit, qui ſeruis ad rura exercenda vtebantur, quos Lacedemonii εἱλώτας, Theſſali πενέςας, Cretes κλαρώτας Syracuſii καλλικυρίους appellabant, vt ab Ariſtotel. lib. i. Politic. & Polluce lib. iii. onomaſt. & ab Æmilio Probo in Pauſan. & Suida ſcriptum eſt. Quibus, vel ipſius Halicarnaſſei lib. ii. Antiquit. teſtimonio haud mul-

tum absimiles erant, easdem certè operas præstantes, qui ab Atheniensibus θῆτες appellabantur. Quinetiam vinciendorum seruorum vsitatum Persis morem fuisse Xenoph. lib. i. πα.δ΄. κύρ. subindicat. Sed nihil hæc ad libri institutum. Illud proposito congruit, admonere, deteriorem longè in manumissione fuisse vinctorum, quàm solutorum seruorum condicionem. Hi enim manumissione vel plenam statim libertatem ciuitatemq; Roma. vel Latinorum ius cum spe ciuitatis multis ex causis obtinenda consequebantur. Illi manumissione dediticii efficiebantur, imaginariamq; dumtaxat libertatem sine vlla ciuitatis quandoque adipiscenda spe nanciscebantur, quemadmodum Vlpian. in Instit. tit. j. & Iustinian. in l. vn. C. de deditic. libert. toll. & Institut. de libertin. § vlt. significant. Id quod lege Ælia introductum, & Vlp. & Theophilus consentiunt, quam vt auctore Augusto latam existimem. Suetonii in Aug. verba faciunt. Hoc quoq;, ait, adiecit, ne vinctus vmquam, tortúsue quis vllo libertatis genere ciuitatem adipisceretur.

Expositum Marcelli responsum, & de vnionum dissolutione.

Cap. X.

In explicatione legum non rarò ab interpretibus verborum ignoratione peccatur. Vnum ego ex multis exemplum proponam. Marcellus speciē huiusmodi refert in l. Seia. D. de auro arg. Seia vnionem cum hyacinthis legauit, postea vnionem soluit, nec vllum mortis tempore inter ornamenta sua vnionem reliquit. Quæsitum est, an heres æstimationem rei, quæ in hereditate non est, præstare debeat. Hæc verba Accursius, qui in errorem reliquos induxit, sic accepit, quasi à testratrice dum viueret, legatario vniones præstiti solutiq; fuerint. Quæ interpretatio à Marcelli mente abhorret, quem de re tam ridicula, & aperta consultum nemini sano verosimile fiet. Probabilius vero est, & ad sequentia accommodatius, de dissolutione vnionis propositam fuisse quæstionem: quam sic accipere possum is, vt detractus & demptus de linea vnio

fuerit, veluti in l. argumento. §. margarita. D. de auro argent. Vel sic, vt aceto dissolutus ac liquefactus sit. Constat enim aceti asperitatem vsque in tabem margaritas resoluere. Vitruu. lib. viii. cap. iij. Item margarita, non minus saxa silicea, quæ neque ferrum, neq; ignis potest per se dissoluere, cũ ab igni sunt percalefacta, aceto sparso dissiliunt, & persoluũtur. Vitruuio Plinius lib. xxiij. cap. j. consentit. Atque ita Cleopatram, in illa celebratissima cœna, vnionẽ aure detractum aceto mersisse, & liquefactum absorbuisse. Idem Plin. lib. ix. cap. xxxv. & Macrob. lib. iij. Saturnal. cap. vii. referunt. Æsopi quoque tragœdi filium aceto liquatos magnæ summæ vniones potionibus aspergere solitum Valer. Max. lib. ix. cap. j. auctor est. quod & Horatius his versibus significat qui sunt lib. ii. serm. Sat. iij.

Filius Aesopi detractam ex aure Metellæ;
Scilicet vt decies solidum exorberet, aceto
Diluit insignem baccam. ——

Idem & de Caligula narratur à Sueton. in eius vita, his verbis: Nepotinis altera sumptibus omnium prodigorum ingenia superauit, commentus nouum balnearum vsum, portentosissima genera ciborum atque cœnarum, vt calidis, frigidisq; vnguentis lauaretur, pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet. Sed vt ad Marcelli responsum veniam, siue hanc siue illam dissolutionem intellexisse cum dicamus, verum est vnionis legatum vtroque modo ceu claro mutatæ voluntatis indicio dato extingui.

Vnde sicariorum nomen, & de sicæ forma.

CAP. XI.

LEGE Cornelia, quam de sicariis L. Cornelius Sylla Dictator tulit, cædes quocumque telo factæ vindicantur. Sicarios enim per abusionem omnes dici, qui cædem quocumque telo commisissent, obtinuisse Quintillian. lib. x. cap. j. tradit. cum propriè ad eos tantum, qui sica occiderint, appellatio ea pertineat. De qua quòd compluries in auctoribus

ſermonem fieri videam, non inutile putaui quæ de eius forma obſeruauerim, ſubiicere. Nam ex Grammaticis quidam ſicam à ſecando dictã, ex noſtro etiam Iuſtinian. in ſ. item lex Cornelia. Inſtitut. de publ. iudic. ſicam ferreum cultrũ eſſe quiſque intelliget. Qualis verò ſica fuerit nemo tam ſagax eſt, vt ex eo cruere poſsit. Quod tamen latere Ioſippus non patitur, qui ſicam breuiſsimum fuiſſe cultrum recuruũ & inflexum, Perſici acinacis longitudine lib. xx. Antiq. Iud. cap. i. docet his verbis. Καὶ οἱ σικάριοι δὲ καλούμενοι (λῃσταὶ δ' εἰσὶν οὗτοι) τότε μάλιστα ἐπλήθυνον, χρώμενοι ξιφιδίοις παραπλησίοις μὲν τὸ μέγεθος τοῖς τῶν περσῶν ἀκινάκαις, ἐπικάμπεσι δὲ καὶ παραπλησίοις ταῖς ὑπὸ ῥωμαίων σίκαις καλουμέναις, ἀφ' ὧν καὶ τὴν προσηγορίαν οἱ λῃστεύοντες ἔλαβον. Cui Suidæ interpretatio concordat, qui ſicas à Roma. τὰ ἐπικάμπη ξίφη appellari dicit. Quod etiam comprobat Iſidor. lib. xviij. Etymolog. cap. vj. cuius verba ipſa quia in impreſſis codicibus corrupta ſunt, ex ſcri- » ptis reſtituta ſubieci, Sica, ait ille, à ſecando dicta, eſt enim gla- » dius breuis quo maxime vtuntur qui apud Indos latrocinia » exercent. A quo & ſicarij dicti. Tranquillus autem dicit dum cuiuſdam gladiatoris in ludum emiſsi gladius curuatus fuiſſet ex acie recta procurrit vnus ad eum corrigendum. Tumq; à pugnante reſponſum ſic hac pugnabo. Inde ſicæ nomen datum. Breuiſsimam autem ſicam fuiſſe indicio eſt quòd vel à pueris, vt Cic. in Catilin. ſignificat, vibraretur: ac proinde cædibus media in turba perpetrandis aptiſsima erat, cum veſte tecta ea, & aut ſinu occultata, nec ſic opinantes confoderentur. Quod Ioſippus non vno loco oſtendit, cuius verba vti ſunt à Rufino Latinè reddita, facilioris intelligentiæ cauſa ſubieci. Sic autem lib. ij. de bello Iud. cap. xij. ſcribit, Re- » gione purgata aliud genus latrocinantium in Hieroſolymis » oriebatur. Hi autem ſicarij vocabantur, die claro & in media ciuitate paſsim quoſque interficientes: potiſsimum verò diebus ſolemnitate feſtiuis immiſcebantur vulgo, ſicas ſub veſte geſtantes. His inimicos interficiebant, ac deinceps collapſis hominibus illi inter reliquos de ſcelere conquerebantur. Idem eiuſdem lib. cap. xvii. Inter infirmiorem autem vulgum irrumpentes multi ſicariorum (ſic enim vocant latrones gladios in ſinibus geſtantes) recepti audaciſsimè proſeque-

ſequebantur opus quod adorti erant. Sed & lib. xx. Antiquit. Iud. cap. ii. multos à ſicariis gladios ſub veſte portantibus & plebi permixtis in turba occiſos refert. Qua de cauſa ſummo hoc hominum genus odio habebatur.

De veritate lectionis l. Fulcinius. §. illud ſciendum. verſic. deniq; ex quibus cauſ. in poſſeſſ. eat. & de ſtationibus ac tabernis in foro.

Cap. XII.

EVM, qui in foro eodem agit, ſi circa columnas vel ſtationes ſe occultet, latitare videri veteres reſponderunt l. Fulcinius. §. denique. D. ex quib. cauſ. maio. Quod etiam confirmat l. eum qui. D. de priuileg. cred. Nec vllam habet ea ſententia obſcuram definitionem. poteſtq; illuſtrari eleganti Baſilii magni loco Homilia contra fœneratores, οὐδεὶς πύκτης οὕτω τὰς πληγὰς τοῦ ἀνταγωνιστοῦ ἀποφεύγει, ὡς ὁ δανεισάμενος τοῦ χρεώστου τὰς συντυχίας πρὸς κίονας καὶ τοίχους ἀποσκιάζων τὴν κεφαλήν. Tantùm quod ad verba attinet, videndum eſſe vir quidam doctiſsimus mihiq; multis de cauſis coniunctiſsimus, cui ego tantum quantum alij nulli tribuo, admonuit, ne in §. deniq; ſtationũ pro ſtatuis, nomen irrepſerit. Quod ego vti omnino improbare fas mihi non puto, ita omnium codicum fide cõprobatam lectionem non temere reiiciendam cenſeo: quæ & ferri poteſt & idoneum, meo iudicio, ſenſum habet. In foro enim Romano ad tabernas ſtationes aliis quoque locis memorari animaduerti. Suet. in Nero. cap. xxxvij. Saluidieno, ait, Orphito obiectum eſt, quod tabernas tres de domo ſua circa forum ciuitatibus ad ſtationem locaſſet. Erant enim " municipiorum ſtationes circa forum Vt Plinius lib. xvj. hiſt. " natur. cap. xliiii. Plinius lib. vii. ca. liii. C. Seruilius, ait, Pan- " ſa cùm ſtaret in foro ad tabernam hora diei ſecunda in P. Pã- " ſam fratrem innixus. Id ipſum & l. penult. C. de operib. publ. comprobat, in qua ſtationes in aliqua baſilicæ parte, tabulato opere cõſtitui Impp. prohibẽt. Dicebantur & artificũ ſtationes: Acron. in illũ Horatii verſum lib. i. Sermon. Sat. iiii.

Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos,

Hæc, ait, posuit pro bibliopolæ statione, qui armaria circa
" pilas vel columnas habebant. Quo verbo & in hanc senten-
" tiam Cornutus in j. Satyr. Persii, vsus est, Mos erat, ait, vt tabernarii cupientes ne mingerēt stationum suarum angulos pingerent supra duos angues. In lexico B. Germani. Officina συνέδριον ἐργαστήριον, στατίων, περιποίησις, ἐργασία. Iustinian. Nou. 44. de Tabellionibus. γινωσκόντων ὡς εἰ παρὰ ταῦτα τι πράξαιεν, ἐκπεσοῦνται πάντως τῶν χαλκευμένων στατιόνων. Et mox, αὐτὸς κύριος τῆς ἐπὶ τῆς στατίωνος αὐθεντίας ἔσται. Plin. lib. xvi hist. nat. cap xliiii.
" Radices eius in forum vsque Cæsaris, per stationes munici-
" piorum penetrant Ita tabernæ statio adnectitur in l. item apud Labeonem. §. conuicium. D. de iniur. Erant verò in stationibus accommodatissimæ tabernæ, quas circa forum dispositas Vitruu. lib. v. cap. i. indicat, & Liuius lib. xxvi. his verbis, inuentum Romæ emptorem, vt extemplo vocato præcone, tabernas argentarias, quæ circa forum Roma tunc essent, iusserit venire. Hoc & Quintilian. lib. vi. cap. iiii. ostēdit, quoddam C. Iulii factum referens, qui sæpius obstrepēti & instanti Heluio, qualem se tandem ostensurus esset, digito demonstrasse fertur imaginem Galli in scuto Mariano Cimbrico pictam, cui tunc Heluius simillimus visus est. Tabernæ autem, ait erant circa forum, & scutū illud signi causa positum. Quod Plinius à Crasso oratore sub veteribus in testem detortum lib. xxxv. cap. iiii. scribit: quo in loco argentariorum mensas fuisse, Plaut. in Curgulio. demonstrat.

In foro infimo, ait, boni homines atque dites ambulant
Sub Veteribus ibi sunt qui dant, qui iis accipiunt fœnore.

Veteres autem cùm dicunt Latini actores, tabernas intelligunt. Eratq; & alius in foro à nouis tabernis appellatus locus, qui Sub nouis, æquè dicebatur, vt Varro lib. v. de lingua Lat. & Liu. lib. ij. & Plin. lib. xxxv. cap. x. docent. Sed ad rem. Argentarias etiam tabernas in solo publico positas fuisse ait l. qui tabernas. D. de contrah. empt. Inde nihil mirum si qui argentaria cedebant, foro cedere dicebantur l. si hominem. §. quotiens. D. depos. vlt. D. de curat. bonis dan.

De iactatione motuq; capitis fanaticorum.

Cap. XIII.

APVD Viuianum quæsitum Vlpian. refert, si seruus inter fanaticos non semper caput iactaret, & aliqua profatus esset, an nihilominus sanus videretur. l. j. §. apud Viuianum. D. de ædilic. ed. Quibus verbis fanaticorum insanũ morem strictim attigit. Fanaticos autem, Gallos magnæ Deûm matris Cybeles sacerdotes accipe. Sic enim à Liuio lib. xxxvj. & à Iuuen. Satyr. ii. & à Prudentio in Roma. aliisq; Latinis auctoribus appellantur. B. Augusti. lib. vii. de ciuit. Dei cap. 24. Inter mysteria matris Deûm Cybeles ponit tympanum, & crepitus cymbalorum, & iactationẽ insanam membrorum. Hi quippe ceu diuino spiritu afflati & æstu quodam mentis perciti, vagari, caput iactare, contorquere hac atque illac inflectere furibundorum specie solebant. Lãprid. in Heliogab. Iactauit autem caput inter præcisos fanaticos, & genitalia sibi deuinxit. Vbi præcisos ea ratione, qua sectos à Mart. lib. v. Epigram. dictos palam est, quòd virilia sibi testa amputarent. Ouidius,

-Mollesq; ministri
Cædunt iactatis vilia membra comis.

Dio orat. i. de regno. ταῦτα δὲ ἔλεγεν οὐχ ὥσπερ οἱ πολλοὶ τῶν λεγομένων ἐνθέων ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἀσθμαίνοντα καὶ περιδινοῦντα τὴν κεφαλήν. Varro Eudæmonibus, vt est apud Nonium, Tibi nunc semiuiri, teretem comam iactant tibi Galli. Luca lib. j.

--Crinemq; rotantes
Sanguinei populis cecinerunt tristia Galli

Iuuen. Sat. vi.

--Crinemq; rotant vlulante Priapo
Mænades.--

Quod & à lymphatis in Bacchanaliumq; celebritate factum Catullus in poëmate de nupt. Pelei ostendit, & Tacit. lib. xi. his verbis: Ipsa crine fluxo thyrsum quatiens, iuxtaq; Silius edera vinctus gerere cothurnos, iacere caput. Statius Papin. lib. iv. Syl. in carmine de via Domitiana, En & colla rotat nouisq; late Bacchatur spatiis viamq; replet. Lucian.

in Pſeudomanti σείων ἅμα τὴν κόμην ἄνετον, ὥσπερ οἱ τῇ μητρὶ ἀγείροντες τε καὶ ἐνθεάζοντες. Strabo lib. x. ait, Corybantas appellari ἀπὸ τοῦ κορύπτοντας βαίνειν, id eſt, vt interpres vertit, quod inter ſaltandum capita iactent. Vnde & τοὺς μανικῶς κινουμένους ait hoc nomine appellari. Atque hæ ſunt, quas Plutarch. μανίας vocat τῶν σειομένων ῥιψαύχενι σὺν κλόνῳ.

De iure ſepulchrorum. CAP. XIIII.

SEPVLCHRORVM alia eſſe hereditaria, alia familiaria noſtri tradunt, Heraditaria iiſdem auctoribus definimus, quæ ſibi heredibusq; ſuis paterfam. conſtituit, vel hereditario iure adquiſiit: in quæ heredibus quibuſcumque vel minima ex parte inſtitutis, nec heredibus modò, ſed & bonorum poſſeſſoribus, iisq; quibus libertatis conſeruandæ cauſa bona addicta fuerint, & omnibus omnino qui heredum loco habeantur & ſepeliri & mortuum inferre licet. l. familiaria l. vel quæ D. de religioſ. l. iiij. §. is autem cui. D. de fideic. libert. Eorumq; adeò ſepulchrorum iura etiam apud heredes reſtituta hereditate manere. l. quia perinde, in fin. D. ad Trebellia, quinimo & ei, cui vt indigno poſt aditionem hereditas ablata ſit, integra ſeruari placet. l. ſi quis heres. D. de religioſ. quod adeundo heres effectus, hereditate ablata, heres eſſe non deſinat l. ex facto in fine. D. de vulg. & pupill. Proinde & liberis licet hereditate abſtinuerint iura huiusmodi Sepulchrorum competere minime dubium eſt, quando ipſo iure heredes ſint & quidem ſui & neceſſarii. Familiaria verò ſepulchra ea eſſe ſtatuũtur, quæ ſibi quis familięq; ſuæ conſtituerit: quorũ ea cauſa eſt, vt ad heredes etiã extraneos, ceteroſq; ſucceſſores pertineãt: hoc amplius & ad adgnatos eosq; qui in familia ſũt: licet heredes nõ ſint, ad proximos verò cognatos adfinesq; nõ aliter quã ſi heredes extiterĩt pertineãt. l. ius familiariũ. l. ius ſepulchri. l. ſi ſepulchrũ. C. de religioſ. Cicero lib. i. offic. ſanguinis autẽ coniunctio & beneuolẽtia deuincit homines caritate. Magnũ eſt enim eadẽ habere monumenta maiorum, iiſdem vti ſacris, ſepulchra habere communia. Vnde quæritur, an in familiaria ſepulchra liberti inferri poſſint. Quod ea ratione defendi poteſt, quòd in patroni familia liberti numerarentur,

familiæq; appellatione Iustiniano in l.vlt.C.de verb.signific. teste, continerentur. Merito cum & gentilicium patronorũ nomen ferrent, vt Alciatus, qui primus horridam & incultam Iurisprudentiam bonarum literarum luce illustrauit, lib. iiii. Dispunct. cap. iii. adnotauit, confirmaríq; apertissimis Tertulliani in lib. de Resurrectio. carn. & Lactantii lib. iii. Instit. cap. iii. testimoniis potest. Cuius rei vt alia notiora omittam, exemplum est, quod Spurii Caruilii libertum, Caruilium quoque à Plut. in Problem. & Pompeii quendam libertum Pompeium Lenæum à Plinio lib. xxv. cap. v. & Sueto. in lib. de clar. grammat. & Lauream Tullium Ciceronis libertum ab eodem Plinio lib. xxxi. cap. i. & Cornelium Alexandrum Cornelii Lentuli libertum à Suida appellari videmus. Quãquam quid emendicatis suffragiis opus est, cùm hoc ipsum Iureconsultorum testimonio confici possit. Est enim non obscurè positum in l. is qui complures. D. de leg. lib. iii. & l. libertis. D. de cond. & demonstrat. ex eóq; præterea perspicuè demonstratur, quod Re extra familiam ita alienari prohibita, Ne de nominẽ exeat, fideicommisso quoq, inuitati liberti intelliguntur. l. cùm pater. §. ab instituto. D. de legat. lib. i. l. pater. §. duobus. D. de legat. lib. iii. His & illud non æquè tritum addamus, ipsa patronorum origine libertos cẽseri, veteribus placuisse, quòd initium libertatis quasi nouæ vitæ ab iis accepissent. l. adsumptio. in fin. l. filii. D. ad municip. l. ii. C. de municipalib. lib. x. C. Ex quibus omnibus effici videbitur, familiaria sepulchra libertis patere. Quod tamen Vlpian. negat: cuius in d. l. vel quod. hæc sunt verba: Liberti autem nec sepeliri, nec alios inferre poterunt, nisi heredes extiterint patrono, quamuis quidam inscripserint se monumentum sibi libertisq; fecisse: quæ ego ad hereditaria sepulchra referri verba debere aliquando existimaui, de iísq; tantùm eo capite agi: vt quod initio capitis scriptum est, *Sed in vtroque heredibus quidem*, sic interpretaremur, tam in eo quod sibi heredibúsq; suis quis constituit, quàm in eo quod hereditario iure adquisiit. Nunc vereor, ne hæc tota ab Vlpiani mente interpretatio abhorreat. Omnis certè dubitationis tollendæ causa, inscribere monumentis veteres solitos sibi, & vxori & libertis libertabúsq;, posterisq; eorum se fecisse, Antiquæ Inscriptiones

oſtendunt, quarum ego vnam exempli cauſa ſubieci. T. ELAVNIVS GENETLIVS NVMMVLARIVS DE BASILICA IVLIA, NATIONE BESS. SIBI ET CONIVGI, LIBERIS, LIBERTIS, LIBERTABVSQVE DEINCEPS DE DOMO SVA DESCENDENTIBVS POSVIT. Caueri planè interdum ſolebat, ne monumentum heredes ſequeretur. Idq; his notis ſcribebatur H. M. H. N. S. quæ à Valerio Probo explicantur, & in Antiq. Inſcription. crebrò occurrunt. Familiaria planè ſepulchra adgnatis tantũ non etiam cognatis adfinibusve niſi patriſam. heredes extitiſſent minime patebant. Adgnatis vtiq; patebant & ſi ab hereditate alieni eſſent. l. ius familiarium l. ius ſepulchrorum C. de religioſis.

Qui & quatenus religioſus locus fiebat.

Cap. XV.

Religiosvm locum tum demum fieri, cùm illatum corpus eſt, res eſt iure ciuili notiſſima. Nec enim monumentum per ſe quicquam religionis habet, planéq; profani iuris eſſe intellegitur, priuſquã eò mortuus ſit illatus, quemadmodum l. iiii. §. non fit. D. ad legem Iul. pecul. arguit. Quamobbrem. cenotaphium religioſum non eſſe, veniréq; & donari poſſe bene Diui fratres reſcripſerunt. l. ſed Diui. D. de rer. diuiſ. l. vel quod. in fin. D. de religioſ. cùm memoriæ tantùm & honoris cauſa, ſine corporis inlatione extruatur. l. monumentum. D. de religioſ. Olim autem cùm cadauera cremari vſus optinuiſſet, priuſquam in os mortui gleba iniecta eſſet, locus ille vbi corpus crematũ erat, religioſus non habebatur: iniecta gleba tum & humatus defunctus & ſepulchrum eſſe ac religione teneri incipiebat, vt à Cicer. lib. ii. de Legib. ſcribitur. Verùm quatenus religio locum occuparet, videamus. Non eſt enim exiſtimandum totum eum fundum, in quo monumentum eſſet, religioſum fuiſſe, ſed eatenus demum, quatenus corpus humatum eſſet, vt ex Celſo Vlpian. in l. ii.

ſ.ſepulchrum.D.de religioſ.refert.Sed& purum agrum monumentum cohærentem profani iuris ab Imp. Philippo reſcriptum eſt.l.locum. C.de relig.Lapides plane, quibus monumentum inædificatum erat, religioſi habebantur, vt nec remoti quidem vindicari quaſi ſemel iuris diuini facti, poſſent.l.quæ religioſis.D.de rei vindic. Vnde Quintil. declam. x. Maius,ait,quam ſi filii ſepulchrum funditus emiſſet & ſacratos morte lapides etiam cineres & oſſa religioſe quieſcentia fracta ſparſiſſet vrna. At non quod circa ſepulchrum (in mediis enim plerumque agris ſepulchra, Siculo Flacco auctore,faciebant)ſpatium relinquebatur,eodem iure cenſebatur.Intra maceriam quippe ſepulchrorum hortis vel ceteris culturis loca pura ſeruata,ſi nihil nominatim venditor excepiſſet,fundi emptorem ſequebantur.l.æde ſacra.in fin. D. de contrah.empt Eâq; de cauſa monumentorum locus definiri, & quantum terræ ſpatium religioni cederet, deſignari, monumentiſq; inſcribi ſolebat.Quintil.lib.vii.cap.pen. Si quis, ait, corpus ſuum in occulto loco poni iubeat circaq; monimentum multum agri ab heredibus in tutelam cinerũ, vt ſolet, leget. Hinc Cicero Philipp. ix. ſepulchro Seruii Sulpitii, qui in legatione Pop.Rom. obierat, locum publicè dari,& pedes triginta quaquauerſus deſignari cenſet. Plenæ ſunt adeò monumentorum inſcriptiones harum notarum IN FR. P. X. IN AGR. P. XX. quæ hoc ſignificant,In fronte pedes decem, in agrum pedes xx. patere. quæ notæ à Valerio Probo ponuntur.eoque Horat.lib.j.Serm.Sat. viii. adludit,

Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulchrum,
Pantolabo ſcurræ Nomentanoq; nepoti.
Mille pedes in fronte,trecentos cippus in agrum
Hic dabat,heredes monumentum ne ſequeretur.

In fronte autem, vt Acron interpretatur, in latitudine ſignificat,iñ agrum verò in longitudine. Atque ita certo ambitu ſepulchri locus titulo id ipſum teſtante,concludebatur. Quod etiam Aggen. Vrbic. ſenſit,cùm in lib.de limit.agror. ad Frontin. Mœſilea, inquit, habent iuris ſui hortorum modum circumiacentem & præſcriptum agri finem.

Macerijs sepulchra olim includi consueuisse.

Cap. XVI.

CONSENTANEVM instituto à nobis de sepulchris sermoni fuerit, adnotare Vlpiani locum ex l. ę de sacra. in fin. D. de contrahenda empt. in quo ita est: *Intra materiam sepulchrorum loca pura hortis vel ceteris culturis seruata si nihil nominatim venditor excepit, ad emptorem pertinent.* Vnde notandum est maceriis sepulchra claudi solita Quod & inscripto antiqua, quæ Padue exstat, docet his verbis. INFERENDI IN AREA, HVMANDI SEPELIENDIQVE IVS POTESTASQVE ESTO, VT HVIC AREÆ, QVAM EGO DEFINII, ET A FRONTE MACERIAM DVXI, ET TITVLVM, POSVI VLTRA EAM AREAM ET MACERIAM IN FRONTE IN AGRO VERSVS LATE P. X. RETRO VSQVE AD CANABETVM HVIC AREAE CEDET, IN QVA PEDATVRA NEQVE HVMARI, NEQVE TVMVLVM FIERI VOLO, VT HABEAT EA AREA ET A LATERE ACCESSVM SVVM.

Hoc idem altera inscriptio docet, quæ apud Lirim amnem in Italia visitur. Ea est huiusmodi:

HVIVS MONVMENTI IVS QVA MACERIA CLVSVM EST, CVM TABERNA ET CENACVLO HEREDEM NON SEQVITVR. INTRA MACERIAM HVMARI QVEMQVAM NON LICET.

Ex quibus inscriptionibus etiam illud, vt obiter moneam, comprobatur, quod Vlpian. in l. iii. § si quis in hereditarium. D. de sepulc viol. rescripto Imperatoris Antonini confirmat, licere cauere testatori, ne quis in sepulchrum inferatur. Porro statuis defunctorum monumenta exornari solita indicant l. Si statua D. de iniur. l. ii. D. de sep. viol. l. statuas. C. de religiosis.

De testium

De testium numero legibus quibusdam constituto.

Cap. XVII.

FVIT antiquis quoque legislatoribus curæ testium numerum & in pecuniariis & in capitalibus causis coartare, ne in infinitum excrescentes probationes veritati tenebras offunderent. Vnde Arcadius in l. i. D. de testib. *Quamquam*, ait, *legibus quibusdam amplissimus numerus testiũ definitus sit* (quod ego ad legem Seruiliam repetundarum referri posse censeo, qua, vt Val.Max.lib.viii. cap.i.scribit, centum atque viginti hominibus testimonium denuntiare licuit) *tamen ex constitutionibus principum hæc licentia ad sufficientem numerum coartatur, vt iudices moderentur, & eum solum numerum, quem necessarium esse putauerint, euocari patiantur.* Quinetiam quod apud nos ex regis Ludouic.xii.constitutione receptum est, vt ne in singula factorum capitula plures, quàm decem testes audiantur, id antiquitus legibus quibusdam cautum inuenio. Sic enim legis Mamiliæ capite quinto scriptum erat: CVM CVRATOR HAC LEGE NON ERIT, TVNC QVICVMQVE MAGISTRATVS IN NOVA COLONIA, MVNICIPIO, PRÆFECTVRA, FORO, CONCILIABVLO, IVRI DICVNDO PRAEERIT, EIVS MAGISTRATVS DE EA RE IVRISDICTIO, IVDICISQVE DATIO, ADDICTIOQVE ESTO: INQVE EAM REM IS, QVI HAC LEGE IVDICIVM DEDERIT, TESTIBVS PVBLICE' DVMTAXAT IN RES SINGVLAS DECEM, DENVNTIANDI POTESTATEM FACITO. Refertur & apud Valer.Probum notis scripta edicti prætorij particula quæ hoc habet. *Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ iudicium Recuperatorium dabo: testibusq́; publicè dumtaxat decem denuntiandi potestatem faciam.*

De pœna iniustè prouocantium.

Cap. XVIII.

QVANDOQVIDEM cœpi quandam nostrorum principum constitutionem ab antiquitate arcessere, admonendum & illud putaui, quòd apud nos moribus constitutionibúsq; receptum est, vti his quorum iniusta appellatio pronuntiatur, sexaginta Parisiensium librarum pœna irrogetur, hoc ad exemplum quodammodo Romani moris esse introductum. Etenim pœnam quandam antiquis temporibus iniustè prouocantibus inflictã Paul.lib.v.Sent.tit.xxxv.ostẽdit his verbis: *Ne liberũ quis & solutũ haberet arbitriũ retractãdæ & reuocãdæ sẽtentiæ, & pœnæ, & tempora appellationibus præstituta sunt. Quod nisi iustè appellauerint, tempora ad cauendum in pœna appellationis quinque dierum præstituta sunt.* De ea pœna caueri fideiussoribus solitum sequentia eiusdem auctoris verba indicant, quæ ita habent: *In causa appellationis tam vnus quàm plures fideiussores, si idonei sunt, dari possunt. Sufficit etiam per vnum idoneum * sollemnitatis pœnam constitui.* Eáq; fortè, cautio est, quam de prouocatione exercenda olim dari solitam Diocletia. sustulit in l.eos. §.vlt. D. de appellatio. Idipsum verò, quo de agimus, perspicuè Tacit.lib.xiiii.his verbis probat: Auxitq; (de Nerone loquitur) patrum honorem, statuendo, vt qui à priuatis iudicibus ad Senatum prouocauissent, eiusdem pecuniæ periculũ facerent, cuius hi qui Imperatorem appellarent. Nam antea vacuum id solutumq; pœna fuerat. Diocletiani quoque iam citata constitutio, ne temerè omnibus ac passim prouocandi facultas præbeatur, eum qui malam litem fuerit prosecutus, à iudice pœna adfici præcipit. Hęc autem pœna siue multa quę infligebatur illis qui à decretis iudicum iniquè prouocauissẽt pręiudicialis appellari videtur in C.Th.leg.1.& lxv. de appellat. & apud Symmach. lib.i.epist. ad Theodosium & epist. xxxvii. vbi & illud ostendit illam multam in ærarium inferri solitam sicut & hodie fit.

** aliàs, indeuitatus pœna consuli.*

De appellationum temporibus.

Cap. XIX.

PRAETER ea quæ superiori capite tractaui, sunt alia satis multa in appellationum quæstione necdum planè cognita, & ex vetustate eruenda. Quæ ego in proprium locum reiiciens, interim tritiora & vulgatiora adnotare contentus ero. Quæritur autem, quæ fuerint olim constituta appellationum tempora, de quibus in l. ei cuius. in fin. D. de appellat. recip. l. qui suspectum. §. vlt. D. de appellatio. fit. sermo. Nec ambiguum est, ad appellandum in propria causa biduũ, in aliena triduum fuisse datum. l. i. ſ. biduum. ſ. quod in sententiis. ſ. in propria. D. quando appellan. sit. l. à sententia. l. qui suspectum. in prin. D. de appellat. l. eos. §. sin autem. C. eo titul. l. iii. D. de appellat. recip. Idq; ita principum constitutionibus definitum fuisse existimo, quibus totam appellationum exercendarum formam fuisse præscriptam ex l. penult. D. de appell. recip. l. i. D. de libell. dimiss. l. i. §. i. D. de nihil nou. app. pend. & l. i. §. dies. D. quando appelland. sit. colligimus. Sed hæc tempora à Iustiniano ampliata sunt, ex cuius cõstitutione decẽ dierũ spatiũ à recitatione sententiæ ad appellationem interponendam datur. Nou. de appellatio. & intra quæ temp. Ob illa difficilior est quæstio, quot fuerint ad libellos Appellatorios, quos & Apostolos & dimissorias litteras vocant, petendos præstituti dies. Quod tamen Pauli ope expediri potest, qui intra quintũ diem eos libellos peti necesse fuisse, lib. v. Sentent. tit. xxxiiii. docet. *Ab eo qui appellatur, ad eum qui de appellatione cogniturus est, litteræ dimissoriæ dirigantur, quæ vulgo Apostoli appellantur: quorum postulatio & acceptio intra quintum diem ex officio * facienda est.* Quod à Gratiano transcriptum est in ca. ab eo. ii. quæst. vi. Hic & illa inspectio incurret, quæ fuerint prouocationis exercendæ peragendæq; tempora præfinita. Certa enim fuisse ostendit l. ii. §. ei quoque. D. de iudic. & l. i. D. de vacat. & excus. mun. Videtur autem anni primùm spatium postea à Iustinian. huic rei biennium præstitutum. l. vlt. §. illud. C. de temporib. appellat. Nou. de his qui ingrediuntur ad appell.

* *faciendæ*

Prægnantium mulierum pœnam Romanorum aliorumq́; populorum institutis differri solitam demonstratur.

Cap. XX.

PRAEGNANTIS mulieris vltimo supplicio damnatæ pœnam Romanorum legibus differri, quoad pepererit, etiam remotis à professione nostra hominibus notum est. Hoc enim & Clemens Alexandrin. lib. ii. Stromat. scribit, his verbis, ἐντεῦθεν καὶ οἱ ῥωμαῖοι εἴ τις ἔγκυος καταδικασθείη τὴν ἐπὶ θανάτῳ, οὐ πρότερον ἐῶσιν ὑποσχεῖν τὴν τιμωρίαν πρὶν ἢ ἐκτεκεῖν ἀντικρὺς γ᾽ οὖν καὶ ὅσα τῶν ζώων κυοφορεῖ ὁ νόμος οὐκ ἐπιτρέπει ἄχρις ἂν ἀποτέκῃ σφαγιάζεσθαι. & scitissimè M. Quintilian. ad fictum argumentum accommodat in declamat.
» 277. cui titulus est, Prægnās adultera. Supplicia, inquit, pre-
» gnantium lex differri in diem partus iubet. Nec verò Romanorum proprium hoc ius fuit. Eo enim Athenienses quoque vsos, indicio est, quod venefícii apud Areopagitas postulatā prægnantem mulierem, cùm in ea causa esset, vt capitis damnaretur de consilij sententia seruatam fuisse dum partum edidisset, Ælia. lib. v. var. histor. memorat. Sed quid Athenienses dico? Ab ipsis Ægyptiorum legibus huius laudabilis instituti origo repetenda est. Sic enim Plut. in lib. de Sera numin. vind. τὸν δ᾽ ἐν Αἰγύπτῳ, ait, νόμον ἆρ᾽ οὐκ εἰκότως ὑμῖν ἀπογράψασθαι δοκοῦσιν ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων, ὃς κελεύει τὴν ἔγκυον ἂν ἁλῷ θανάτῳ, μέχρι τέκῃ φυλάττειν. Sed & Philo Iudæus in libro περὶ φιλανθρωπίας, συνεῦν δέ μοι δοκοῦσιν ὁρμηθέντες ἔνιοι τῶν νομοθετῶν καὶ τὸν ἐπὶ ταῖς κατακρίτοις γυναιξὶν εἰσηγήσασθαι νόμον ὃς κελεύει τὰς ἐγκυούσας ἂν ἄξια θανάτου δράσωσι μὴ θανεῖν μέχρις ἂν ἀποτέκωσιν, ἵνα μὴ ἀναιρουμένων συναπόληται τὸ κατὰ γαστρός. Nūquam igitur satis Claudii Imperatoris crudelitas damnabitur, quem ne supplicio quidem prægnantium mulierum abstinuisse Dion lib. lvii. prodidit: cùm tamen iuris sanctio non capitalem modò pœnam sumi, sed ne quæstionem quidem de prægnante haberi patiatur. l. iii. D. de pœn. l. Imperator Hadrianus. D. de Stat.
» hom. & Paul. lib. ii. sentent. tit. xii. Prægnantes, inquit, neq;
» torqueri neque damnari nisi post editum partum possunt.

Constitutionis, qua spadones fieri prohibentur, auctor demonstratur.

CAP. XXI.

REFERTVR in l. iiii. §. idem diuus. D. ad legem Cornel. de sicar. Hadriani rescriptum, quoddam quo Constitutum fuit ne spadones fierent: eos autem, qui hoc crimine arguerentur, Legis Corneliæ pœna teneri, & bona eorum fisco meo vindicari debere. Audimus constitutum hoc esse: à quo verò constitutum fuerit, ignoramus, & huius sanctissimæ constitutionis etiamnum auctorem requirimus, cuius nomen libris nostris est suppressum. Domitiani autem hanc esse constitutionem luce clarius demonstrabo. Nam de eo Sueton. in eius vita cap. vii. Castrari, inquit, mares vetuit: spadonum qui residui " apud mangones erant, pretia moderatus est. Ammia. Mar- " cellin. lib. xvii. Horum & similium tædio iuuat veterem laudare Domitianum, qui licet patri, fratriq; dissimilis memoriam nominis sui inexpiabili detestatione perfudit, receptissima tamen inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos iurisdictionis Roma. castraret quisquam puerum. Xiphilin. in Domitia. καὶ διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς Εαρίνου τινὸς εὐνούχου ἐρῶν, ὅμως ἐπειδὴ καὶ ὁ Τίτος ἰσχυρῶς περὶ τὰς ἐκτομίας ἐσπουδάκει, ἀπηγόρευσεν ἐφ' ἐκείνου ὕβρει μηδένα ἔτι ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ ἐκτέμνεσθαι. Philostr. lib. vi. de vita Apollinij ad fin. Δομετιανοῦ δὲ βασιλέως. τοῦτο, τὸν αὐτὸν χρόνον εὐνούχους ποιεῖν νομοθετήσαντος. Quo nomine Martialis ei assentatorio suo more pluribus locis gratulatur, lib. vj. Epigram. cùm ait:

Lusus erat sacræ connubia fallere tedæ,
Lusus & immeritos execuisse mares.
Vtraque tu prohibes, Cæsar, populisq; futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes.
*Nec spado iam, nec mœchus erit, te * consule, quisquam:* * præside
At prius, ô mores, & spado mœchus erat.

Idem lib. ix.

Tibi summe Rheni domitor & parens orbis
Pudice princeps gratias agunt vrbes,
Populiq; habebunt, parere iam scelus non est.

Prægnantium mulierum pœnam Romanorum aliorumq́; populorum institutis differri solitam demonstratur.

CAP. XX.

PRAEGNANTIS mulieris vltimo supplicio damnatæ pœnam Romanorum legibus differri, quoad pepererit, etiam remotis à professione nostra hominibus notum est. Hoc enim & Clemens Alexandrin. lib. ii. Stromat. scribit, his verbis, ἐντεῦθεν καὶ οἱ ῥωμαῖοι εἰ καί τις ἔγκυος καταδικασθείη τὴν ἐπὶ θανάτῳ οὐ πρότερον ἐῶσιν ὑποσχεῖν τὴν τιμωρίαν πρὶν ἢ ἐκτεκεῖν ἀντικρὺς γ᾽. οὖν καὶ ὅσα τῶν ζώων κυοφορεῖ ὁ νόμος οὐκ ἐπιτρέπει ἄχρις ἂν ἀποτέκῃ σφαγιάζεσθαι. & scitissimè M. Quintilian. ad fictum argumentum accommodat in declamat.
» 277. cui titulus est, Prægnãs adultera. Supplicia, inquit, prę-
» gnantium lex differri in diem partus iubet. Nec verò Romanorum proprium hoc ius fuit. Eo enim Athenienses quoque vsos, indicio est, quod veneficii apud Areopagitas postulatã prægnantem mulierem, cùm in ea causa esset, vt capitis damnaretur de consilij sententia seruatam fuisse dum partum edidisset, Ælia. lib. v. var. histor. memorat. Sed quid Athenienses dico? Ab ipsis Ægyptiorum legibus huius laudabilis instituti origo repetenda est. Sic enim Plut. in lib. de Sera numin. vind. τὸν δ᾽ ἐν Αἰγύπτῳ, ait, νόμον ἆρ᾽ οὐκ εἰκότως ὑμῖν ἀπογράψασθαι δοκοῦσιν ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων, ὃς κελεύει τὴν ἔγκυον ἂν ἁλῷ θανάτῳ, μέχρι τέκῃ φυλάττειν. Sed & Philo Iudæus in libro περὶ φιλανθρωπίας συνιεῖν δέ μοι δοκοῦσιν ὁρμηθέντες ἔνιοι τῶν νομοθετῶν καὶ τὸν ἐπὶ ταῖς κατακρίτοις γυναιξὶν εἰσηγήσασθαι νόμον ὃς κελεύει τὰς ἐγκυούσας ἂν ἄξια θανάτου δρῶσι μὴ θανεῖν μέχρις ἂν ἀποτέκωσιν, ἵνα μὴ ἀναιρουμένων συναπόλλυται τὸ κατὰ γαστρός. Nũquam igitur satis Claudii Imperatoris crudelitas damnabitur, quem ne supplicio quidem prægnantium mulierum abstinuisse Dion lib. lvii. prodidit: cùm tamen iuris sanctio non capitalem modò pœnam sumi, sed ne quæstionem quidem de prægnante haberi patiatur. L. iii. D. de pœn. l. Imperator Hadrianus. D. de Stat.
» hom. & Paul. lib. ii. sentent. tit. xii. Prægnantes, inquit, neq;
» torqueri neque damnari nisi post editum partum possunt.

Constitutionis, qua spadones fieri prohibentur, auctor demonstratur.

CAP. XXI.

REFERTVR in l. iiii. §. idem diuus. D. ad legem Cornel. de sicar. Hadriani rescriptum, quoddam quo Constitutum fuit ne spadones fierent: eos autem, qui hoc crimine arguerentur, Legis Corneliæ pœna teneri, & bona eorum fisco meo vindicari debere. Audimus constitutum hoc esse: à quo verò constitutum fuerit, ignoramus, & huius sanctissimæ constitutionis etiamnum auctorem requirimus, cuius nomen libris nostris est suppressum. Domitiani autem hanc esse constitutionem luce clarius demonstrabo. Nam de eo Sueton. in eius vita cap. vii. Castrari, inquit, mares vetuit spadonum qui residui " apud mangones erant, pretia moderatus est. Ammia. Mar- " cellin. lib. xvii. Horum & similium tædio iuuat veterem laudare Domitianum, qui licet patri, fratriq; dissimilis memoriam nominis sui inexpiabili detestatione perfudit, receptissima tamen inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos iurisdictionis Roma. castraret quisquam puerum. Xiphilin. in Domitia. καὶ διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς Ἐαρινοῦ τινος εὐνούχου ἐρῶν, ὅμως ἐπειδὴ καὶ ὁ Τίτος ἰσχυρῶς περὶ τοὺς ἐκτομίας ἐσπουδάκει, ἀπηγόρευσεν ἐφ' ἐκείνου ὕβρει μηδένα ἔτι ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ ἐκτέμνεσθαι. Philostr. lib. vi. de vita Apollinij ad fin. Δομετιανοῦ δὲ βασιλέως ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον εὐνούχους ποιεῖν νομοθετήσαντος. Quo nomine Martialis ei assentatorio suo more pluribus locis gratulatur, lib. vj. Epigram. cùm ait:

Lusus erat sacræ connubia fallere tedæ,
Lusus & immeritos execuisse mares.
Vtraque tu prohibes, Cæsar, populisq; futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes.
*Nec spado iam, nec mœchus erit, te * consule, quisquam:* * *præside*
At prius, ô mores, & spado mœchus erat.

Idem lib. ix.

Tibi summe Rheni domitor & parens orbis
Pudice princeps gratias agunt vrbes,
Populiq; habebunt, parere iam scelus non est.

Prægnantium mulierum pœnam Romanorum aliorumq; populorum institutis differri solitam demonstratur.

CAP. XX.

PRAEGNANTIS mulieris vltimo supplicio damnatæ pœnam Romanorum legibus differri, quoad peperit, etiam remotis à professione nostra hominibus notum est. Hoc enim & Clemens Alexandrin. lib. ij. Stromat. scribit, his verbis, ἐντεῦθεν καὶ οἱ ῥωμαῖοι εἰ καί τις ἔγκυος καταδικασθείη τὴν ἐπὶ θανάτῳ, οὐ πρότερον ἐῶσιν ἀποχεῖν τὴν τιμωρίαν πρὶν ἢ ἐκτεκεῖν αὐτίκα γ' οὖν καὶ ὅσα τῶν ζώων κυοφορεῖ ὁ νόμος οὐκ ἐπιτρέπει ἄχρις ἂν ἀποτέκῃ σφαγιάζεσθαι. & scitissimè M. Quintilian. ad fictum argumentum accommodat in declamat.
„ 277. cui titulus est, Prægnās adultera. Supplicia, inquit, pregnantium lex differri in diem partus iubet. Nec verò Romanorum proprium hoc ius fuit. Eo enim Athenienses quoque vsos, indicio est, quod veneficii apud Areopagitas postulatā prægnantem mulierem, cum in ea causa esset, vt capitis damnaretur de consilij sententia seruatam fuisse dum partum edidisset, Ælia. lib. v. var. histor. memorat. Sed quid Athenienses dico? Ab ipsis Ægyptiorum legibus huius laudabilis instituti origo repetenda est. Sic enim Plut. in lib. de Sera numin. vind. τὸν δ' ἐν Αἰγύπτῳ, ait, νόμον ἆρ' οὐκ εἰκότως ὑμῖν ἀπογράψασθαι δοκοῦσιν ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων, ὃς κελεύει τὴν ἔγκυον ἂν ἁλῷ θανάτῳ, μέχρι τέκῃ φυλάττειν. Sed & Philo Iudæus in libro περὶ φιλανθρωπίας, συνεῖν δέ μοι δοκοῦσιν ὁρμηθέντες ἔνιοι τῶν νομοθετῶν καὶ τὸν ἐπὶ ταῖς κατακρίτοις γυναιξὶν εἰσηγήσασθαι νόμον ὃς κελεύει τὰς ἐγκυούσας ἂν ἄξια θανάτου δρῶσι μὴ θανεῖν μέχρις ἂν ἀποτέκωσιν, ἵνα μὴ ἀναιρουμένων συναπόληται τὸ κατὰ γαστρός. Nūquam igitur satis Claudii Imperatoris crudelitas damnabitur, quem ne supplicio quidem prægnantium mulierum abstinuisse Dion lib. lvii. prodidit: cùm tamen iuris sanctio non capitalem modò pœnam sumi, sed ne quæstionem quidem de prægnante haberi patiatur. l. iii. D. de pœn. l. Imperator Hadrianus. D. de Stat.
„ hom. & Paul. lib. ii. sentent. tit. xii. Prægnantes, inquit, neq;
„ torqueri neque damnari nisi post editum partum possunt.

Constitutionis, qua spadones fieri prohibentur, auctor demonstratur.

CAP. XXI.

REFERTVR in l. iiii. §. idem diuus. D. ad legem Cornel. de sicar. Hadriani rescriptum, quoddam quo Constitutum fuit ne spadones fierent: eos autem, qui hoc crimine arguerentur, Legis Corneliæ pœna teneri, & bona eorum fisco meo vindicari debere. Audimus constitutum hoc esse: à quo verò constitutum fuerit, ignoramus, & huius sanctissimæ constitutionis etiamnum auctorem requirimus, cuius nomen libris nostris est suppressum. Domitiani autem hanc esse constitutionem luce clarius demonstrabo. Nam de eo Sueton. in eius vita cap. vii. Castrari, inquit, mares vetuit spadonum qui residui " apud mangones erant, pretia moderatus est. Ammia. Mar- " cellin. lib. xvii. Horum & similium tædio iuuat veterem laudare Domitianum, qui licet patri, fratriq; dissimilis memoriam nominis sui inexpiabili detestatione perfudit, receptissima tamen inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos iurisdictionis Roma. castraret quisquam puerum. Xiphilin. in Domitia. καὶ διὰ τοῦτο ἢ αὐτὸς Εαρίνου τινὸς εὐνούχου ἐρῶν, ὅμως ἐπειδὴ καὶ ὁ Τίτος ἰσχυρῶς περὶ τὰς ἐκτομίας ἐσπουδάκει, ἀπηγόρευσεν ἐπὶ τῇ ἐκείνου ὕβρει μηδένα ἔτι ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ ἐκτέμνεσθαι. Philostr. lib. vi. de vita Apollinij ad fin. Δομετιανοῦ δὲ βασιλέως. ὑπὸ, τὸν αὐτὸν χρόνον εὐνούχους ποιεῖν νομοθετήσαντος. Quo nomine Martialis ei assentatorio suo more pluribus locis gratulatur, lib. vj. Epigram. cùm ait:

Lusus erat sacræ connubia fallere tedæ,
Lusus & immeritos execuisse mares.
Vtraque tu prohibes, Cæsar, populisq; futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes.
*Nec spado iam, nec mœchus erit, te * consule, quisquam:* * *præside*
At prius, ò mores, & spado mœchus erat.

Idem lib. ix.

Tibi summe Rheni domitor & parens orbis
Pudice princeps gratias agunt vrbes,
Populiq; habebunt, parere iam scelus non est.

Prægnantium mulierum pœnam Romanorum aliorumq; populorum institutis differri solitam demonstratur.

CAP. XX.

PRAEGNANTIS mulieris vltimo supplicio damnatæ pœnam Romanorum legibus differri, quoad peperit, etiam remotis à professione nostra hominibus notum est. Hoc enim & Clemens Alexandrin. lib. ii. Stromat. scribit, his verbis, ἐντεῦθεν καὶ οἱ ῥωμαῖοι εἰ καί τις ἔγκυος καταδικασθείη τὴν ἐπὶ θανάτῳ οὐ πρότερον ἐῶσιν ὑποσχεῖν τὴν τιμωρίαν πρὶν ἢ ἐκτεκεῖν ἀντικρυς γ' οὖν καὶ ὅσα τῶν ζώων κυοφορεῖ ὁ νόμος οὐκ ἐπιτρέπει ἄχρις ἂν ἀποτέκῃ σφαγιάζεσθαι. & scitissimè M. Quintilian. ad fictum argumentum accommodat in declamat.
„ 277. cui titulus est, Prægnãs adultera. Supplicia, inquit, pre-
„ gnantium lex differri in diem partus iubet. Nec verò Romanorum proprium hoc ius fuit. Eo enim Athenienses quoque vsos, indicio est, quod veneficii apud Areopagitas postulatã prægnantem mulierem, cùm in ea causa esset, vt capitis damnaretur de consilij sententia seruatam fuisse dum partum edidisset, Ælia. lib. v. var. histor. memorat. Sed quid Athenienses dico? Ab ipsis Ægyptiorum legibus huius laudabilis instituti origo repetenda est. Sic enim Plut. in lib. de Sera numin. vind. τὸν δ' ἐν Αἰγύπτῳ, ait, νόμον ἄρ' οὐκ εἰκότως ὑμῖν ἀπογράφεσθαι δοκοῦσιν ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων, ὃς κελεύει τὴν ἔγκυον ἂν ἁλῷ θανάτῳ, μέχρι τέκῃ φυλάττειν. Sed & Philo Iudæus in libro περὶ φιλανθρωπίας, συνεῖν δέ μοι δοκοῦσιν ὁρμηθέντες ἔνιοι τῶν νομοθετῶν καὶ τὸν ἐπὶ ταῖς καταγκρίτοις γυναιξὶν εἰσηγήσασθαι νόμον ὃς κελεύει τὰς ἐγκυούσας ἂν ἄξια θανάτου δρῶσι μὴ θανεῖν μέχρις ἂν ἀποτέκωσιν, ἵνα μὴ ἀναιρουμένῳ συναπόληται τὸ κατὰ γαστρός. Nũquam igitur satis Claudii Imperatoris crudelitas damnabitur, quem ne supplicio quidem prægnantium mulierum abstinuisse Dion lib. lvii. prodidit: cùm tamen iuris sanctio non capitalem modò pœnam sumi, sed ne quæstionem quidem de prægnante haberi patiatur. l. iii. D. de pœn. l. Imperator Hadrianus. D. de Stat.
„ hom. & Paul. lib. ii. sentent. tit. xii. Prægnantes, inquit, neq;
„ torqueri neque damnari nisi post editum partum possunt.

Constitutionis, qua spadones fieri prohibentur, auctor demonstratur.

CAP. XXI.

REFERTVR in l. iiii. §. idem diuus. D. ad legem Cornel. de sicar. Hadriani rescriptum, quoddam quo Constitutum fuit ne spadones fierent: eos autem, qui hoc crimine arguerentur, Legis Corneliæ pœna teneri, & bona eorum fisco meo vindicari debere. Audimus constitutum hoc esse: à quo verò constitutum fuerit, ignoramus, & huius sanctissimæ constitutionis etiamnum auctorem requirimus, cuius nomen libris nostris est suppressum. Domitiani autem hanc esse constitutionem luce clarius demonstrabo. Nam de eo Sueton. in eius vita cap. vii. Castrari, inquit, mares vetuit spadonum qui residui apud mangones erant, pretia moderatus est. Ammia. Marcellin. lib. xvii. Horum & similium tædio iuuat veterem laudare Domitianum, qui licet patri, fratriq; dissimilis memoriam nominis sui inexpiabili detestatione perfudit, receptissima tamen inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos iurisdictionis Roma. castraret quisquam puerum. Xiphilin. in Domitia. καὶ διὰ τοῦτο καὶ αὐτό; Εαρίνου τινὸς εὐνούχου ἐρῶν, ὅμως ἐπειδὴ καὶ ὁ Τίτος ἰσχυρῶς περὶ τὰς ἐκτομίας ἐσπουδάκει, ἀπηγόρευσεν ἐνθ' ἐκείνου ὕβρει μηδένα ἔτι ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ ἐκτέμνεσθαι. Philostr. lib. vi. de vita Apollinij ad fin. Δομετιανοῦ δὲ βασιλέως ὑπὸ, τὸν αὐτὸν χρόνον εὐνούχους ποιεῖν νομοθετήσαντος. Quo nomine Martialis ei assentatorio suo more pluribus locis gratulatur, lib. vj. Epigram. cùm ait:

Lusus erat sacræ connubia fallere tedæ,
Lusus & immeritos execuisse mares.
Vtraque tu prohibes, Cæsar, populisq; futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes.
*Nec spado iam, nec mœchus erit, te * consule, quisquam:* * *præside*
At prius, ò mores, & spado mœchus erat.

Idem lib. ix.

Tibi summe Rheni domitor & parens orbis
Pudice princeps gratias agunt vrbes,
Populiq; habebunt, parere iam scelus non est.

Cap. XVIII.

QVANDOQVIDEM cœpi quandam nostrorum principum constitutionem ab antiquitate arcessere, admonendum & illud putaui, quòd apud nos moribus constitutionibúsq; receptum est, vti his quorum iniusta appellatio pronuntiatur, sexaginta Parisiensium librarum pœna irrogetur, hoc ad exemplum quodammodo Romani moris esse introductum. Etenim pœnam quandam antiquis temporibus iniustè prouocantibus inflictã Paul.lib.v.Sent.tit.xxxv.ostẽdit his verbis: *Ne liberũ quis & solutũ haberet arbitriũ retractãdæ & reuocãdæ sẽtentiæ, & pœnæ, & tempora appellationibus præstituta sunt. Quod nisi iustè appellauerint, tempora ad cauendum in pœna appellationis quinque dierum præstituta sunt.* De ea pœna caueri fideiussoribus solitum sequentia eiusdem auctoris verba indicant, quæ ita habent: *In causa appellationis tam vnus quàm plures fideiussores, si idonei sunt, dari possunt. Sufficit etiam per vnum idoneum* * *sollemnitatis pœnam constitui.* Eáq; fortè, cautio est, quam de prouocatione exercenda olim dari solitam Diocletia. sustulit in l.eos. §.vlt. D. de appellatio. Idipsum verò, quo de agimus, perspicuè Tacit.lib.xiiii.his verbis probat: Auxitq; (de Nerone loquitur) patrum honorem, statuendo, vt qui à priuatis iudicibus ad Senatum prouocauissent, eiusdem pecuniæ periculũ facerent, cuius hi qui Imperatorem appellarent. Nam antea vacuum id solutumq; pœna fuerat. Diocletiani quoque iam citata constitutio, ne temerè omnibus ac passim prouocandi facultas præbeatur, eum qui malam litem fuerit prosecutus, à iudice pœna adfici præcipit. Hęc autem pœna siue multa quę infligebatur illis qui à decretis iudicum iniquè prouocauissẽt prẹiudicialis appellari videtur in C.Th.leg.l.& lxv.de appellat. & apud Symmach.lib.i.epist.ad Theodosium & epist. xxxvii. vbi & illud ostendit illam multam in ærarium inferri solitam sicut & hodie fit.

* *aliàs, indemnitatis pœna consuli.*

De appellationum temporibus.

CAP. XIX.

PRAETER ea quæ superiori capite tractaui, sunt alia satis multa in appellationum quæstione necdum planè cognita, & ex vetustate eruenda. Quæ ego in proprium locum reiiciens, interim tritiora & vulgatiora adnotare contentus ero. Quæritur autem, quæ fuerint olim constituta appellationum tempora, de quibus in l. ei cuius. in fin. D. de appellat. recip. l. qui suspectum. §. vlt. D. de appellatio. fit. sermo. Nec ambiguum est, ad appellandum in propria causa biduū, in aliena triduum fuisse datum. l. i. ϛ. biduum. ϛ. quod in sententiis. ϛ. in propria. D. quando appellan. fit. l. à sententia. l. qui suspectum. in prin. D. de appellat. l. eos. §. sin autem. C. eo titul. l. iii. D. de appellat. recip. Idq; ita principum constitutionibus definitum fuisse existimo, quibus totam appellationum exercendarum formam fuisse præscriptam ex l. penult. D. de appell. recip. l. i. D. de libell. dimiss. l. i. §. i. D. de nihil nou. app. pend. & l. i. §. dies. D. quando appelland. fit. colligimus. Sed hæc tempora à Iustiniano ampliata sunt, ex cuius cōstitutione decē dierū spatiū à recitatione sententiæ ad appellationem interponendam datur. Nou. de appellatio. & intra quæ temp. Ob illa difficilior est quæstio, quot fuerint ad libellos Appellatorios, quos & Apostolos & dimissorias litteras vocant, petendos præstituti dies. Quod tamen Pauli ope expediri potest, qui intra quintū diem eos libellos peti necesse fuisse, lib. v. Sentent. tit. xxxiiii. docet. *Ab eo qui appellatur, ad eum qui de appellatione cogniturus est, litteræ dimissoriæ dirigantur, quæ vulgo Apostoli appellantur: quorum postulatio & acceptio intra quintum diem ex officio * facienda est.* Quod à Gratiano transcriptum est in ca. ab eo. ii. quæst. vi. Hic & illa inspectio incurret, quæ fuerint prouocationis exercendæ peragendæq; tempora præfinita. Certa enim fuisse ostendit l. ii. §. ei quoque. D. de iudic. & l. i. D. de vacat. & excus. mun. Videtur autem anni primùm spatium postea à Iustinian. huic rei biennium præstitutum. l. vlt. §. illud. C. de temporib. appellat. Nou. de his qui ingrediuntur ad appell.

* *faciunda*

Constitutionis, qua spadones fieri prohibentur, auctor demonstratur.

CAP. XXI.

REFERTVR in l. iiii. §. idem diuus. D. ad legem Cornel. de sicar. Hadriani rescriptum, quoddam quo Constitutum fuit ne spadones fierent: eos autem, qui hoc crimine arguerentur, Legis Corneliæ pœna teneri, & bona eorum fisco meo vindicari debere. Audimus constitutum hoc esse: à quo verò constitutum fuerit, ignoramus, & huius sanctissimæ constitutionis etiamnum auctorem requirimus, cuius nomen libris nostris est suppressum. Domitiani autem hanc esse constitutionem luce clarius demonstrabo. Nam de eo Sueton. in eius vita cap. vii. Castrari, inquit, mares vetuit spadonum qui residui « apud mangones erant, pretia moderatus est. Ammia. Mar- « cellin. lib. xvii. Horum & similium tædio iuuat veterem laudare Domitianum, qui licet patri, fratriq; dissimilis memoriam nominis sui inexpiabili detestatione perfudit, recentissima tamen inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos iurisdictionis Romanæ castraret quisquam puerum. Xiphilin. in Domitia. καὶ διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς Εαρίνου τινὸς ἐντυχὼν ἐρῶν, ὅμως ἐπειδὴ καὶ ὁ Τίτος ἰσχυρῶς περὶ τὰς ἐκτομίας ἐσπουδάκει, ἀπηγόρευσεν ἐν ἔθει ἐκείνου ὕβρει μηδένα ἔτι ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ ἐκτέμνεσθαι. Philostr. lib. vi. de vita Apollinij ad fin. Δομετιανοῦ δὲ βασιλέως ὑπὸ, τὸν αὐτὸν χρόνον εὐνούχους ποιεῖν νομοθετήσαντος. Quo nomine Martialis ei assentatorio suo more pluribus locis gratulatur, lib. vj. Epigram. cùm ait:

Lusus erat sacræ connubia fallere tedæ,
Lusus & immeritos execuisse mares.
Vtraque tu prohibes, Cæsar, populisq; futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes.
*Nec spado iam, nec mœchus erit, te * consule, quisquam:* *præside
At prius, ô mores, & spado mœchus erat.

Idem lib. ix.

Tibi summe Rheni domitor & parens orbis
Pudice princeps gratias agunt vrbes,
Populiq; habebunt, parere iam scelus non est.

Non puer auari sectus arte mangonis
Virilitatis damna mœret ereptæ.

Et alio eiusdem libri loco:

Immatura dabant infandas corpora pœnas.
Non tulit Ausonius talia monstra pater.
Idem qui teneris nuper succurrit ephebis,
Ne faceret steriles sæua libido viros.

Sed & Statius Papin. lib iiii. Syluarum, in eo carmine cui titulus est, Via Domitiane, eumdem principem, eiusdem constitutionis ergo ita laudat,

Qui fortem vetat interire sexum
Et censor prohibet mares adultos
Pulchræ supplicium timere formæ.

In Eusebii quoque Chronicis ita scriptũ est. Domitianus Eunuchos fieri prohibuit. Amm. Marcell. lib. xviii. de Domitiano receptissima inclaruit lege qua minaciter interdixerat ne intra terminos Iurisdictionis Romanæ castraret quisquam puerum. In castrationem porro masculorum rite & eleganter inuehuntur, Lucianus in Amoribus, & Quintilian. lib. instit. orat. Ceterum idem ipsum à Nerua postea constitutum esse, historiis proditum est. Sic enim in eius vita Xiphilinus, ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλα τε καὶ περὶ τὸ μὴ εὐνουχίζεσθαί τινα. Et Zonaras tomo ii. de eodem. οὗτος ἐνομοθέτησε καὶ τὸ μή τινα τῶν παιδογόνα μόρια παρὰ Ῥωμαίοις ἐκτέμνεσθαι. Hadrianus deinde non liberos tantùm, sed & seruos inuitos, sine ntélue castrare, thlibiasq; facere prohibuit. l. lege Cornelia. §. vlt. l. hi quoq; D. ad legem Cornel. de sicar. Memoratur etiam à Venuleio Senatusconsultum Neratio Prisco & Annio Vero Coss. factum, quo qui seruum castrandum tradidisset, dimidia bonorum parte multabatur. Ad extremum Constantinus quoque Eunuchos fieri superiorum principum constitutionibus renouatis vetuit. l. j. C. de eunuchis.

Et Iustinianus qui ῥινότμητος dictus Abasgis quorum præfecti pueros qui formæ elegantioris erãt parentibus ereptos castratósque Romanis quibus eos acceptissimos esse cernebant, diuendere soliti erant, cum apud eos id commercij genus vsu iam frequentaretur misso Imperatorio eunucho de cetero inuictum quemquam castrare prohibuit, interdicta

etiam eorum nundinatione, vt idem Zonaras in Leone Isauro ita scribit p. 82. Ἰουστινιανὸς δὲ ὁ πρῶτος στείλας παρ' αὐτοῖς ἕνα τῶν ἐν τοῖς βασιλείοις εὐνοῦχον σφίσιν ὁμογενῆ (πολλοὶ γὰρ περὶ τὰ ῥωμαίων ἀρχεῖα τοιοῦτοι ἐτρέφοντο) ἀπεῖπε τοῖς ἡγεμόσι τῶν ἀβασγῶν, μηκέτι μηδένα τὴν ἀρρενωπίαν ἐκτέμνεσθαι βιαζόμενοι· τελευτήσειν γὰρ τὴν πρᾶξιν αὐτοῖς εἰς κενὸν, μηδενὸς ῥωμαίων πριάσθαι βουλησαμένους τοὺς ἐκτομίας αὐτῶν. Nec immerito odio habuere castrantes: Hic enim, vt Claudianus loquitur,

--vno sub ictu
Eripit officium patris nomenq; mariti.

Vnde Io. Chrysostomus Hom. xxxi. in Epistola ad Corinth. prior. de genitalibus membris agens: Καὶ γὰρ πρὸς παιδοποιίαν καὶ τὴν τοῦ γένους ἡμῶν διαδοχὴν χρήσιμα· διὰ τοῦτο καὶ οἱ νομοθέται ῥωμαίων τοὺς ταῦτα ἀκροτηριάζοντας τὰ μέλη καὶ ποιοῦντας εὐνούχους κολάζουσιν ἅτε τῷ κοινῷ γένει λυμαινομένους καὶ αὐτῇ ἐπηρεάζοντας τῇ φύσει. Idem Homil. 4. in Epist. ad Roman. ἐρώτησον τίνος ἕνεκεν τοὺς εὐνούχους ποιοῦντας κολάζουσιν οἱ νομοθέται, καὶ διά τι; δι' οὐδὲν ἕτερον πάντως ἢ ὅτι τὴν φύσιν ἀκρωτηριάζουσι. Zonar. in Cano. xxi. τὸ εὐνουχίζειν, εἰ μὴ διὰ πάθος ἐνσκῆψαν περὶ τὰ παιδογόνα μόρια γένοιτο, καὶ τοῖς πολιτικοῖς ἀπηγόρευται νόμοις· καὶ τοσοῦτον, ὥστε καὶ τοὺς ἐκτεμνομένους δούλους εἰς ἐλευθερίαν κελεύουσιν ἀναρπάζεσθαι· καὶ τοὺς εὐνουχίσαντας ὑποκεῖσθαι ταυτοπαθείᾳ καὶ δημεύσει καὶ περιορισμῷ. Iustin. Martyr. Apol. 2. pro Christia. de quodã puero Christiano loquẽs qui seipsum castrare cupiebat, βιβλίδιον ἀνέδωκεν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Φίληκι ἡγεμονεύοντι ἀξιῶν, ἐπιτρέψαι ἰατρῷ τοὺς διδύμους αὐτοῦ ἀφελεῖν· ἄνευ γὰρ τῆς τοῦ ἡγεμόνος ἐπιτροπῆς τοῦτο πράττειν ἀπειρῆσθαι οἱ ἐκεῖ ἰατροὶ ἔλεγον. Apud Hircium de bello Alexandr. Cæsar, neq; exectis, ait, “ vitilitatem restituere posse. quod quidem supplicium gra- “ uius morte ciues Ro. subiissent. Vide & nouellam Leonis constitutionem LX.

FINIS.

V.C. IACOBO FABRO INQVISITORIARVM CLASsium in Senatu Parisiensi præsidi, & Abbati Casæ dei B. Brissonius S. D.

*

P V D E T me planè, *vir clarissime, verba tibi pro rebus dare, & in referenda gratia leui hoc litterarum munere defungi. Sed quam tu in benemerendo, eandem vt in eo quod rependitur benignè accipiendo humanitatem mihi præstes, postulo. Ita nouus cumulus ad superiora tua in me beneficia accedet: quorum recordatione incensus cùm grati tibi animi significationem aliquam dare gestiret animus, firmiora, quibus eam consignaret, hoc tertio Selectarum ex iure ciuili Antiquitatum libro, monumenta non habuit. Vale. Lutetiæ Paris. Idib. Iuniis.* M. D. LVII.

B. BRIS

B. BRISSONII SELECTARVM EX IVRE CIVILI ANTIQVITATVM

Liber III.

De legitimo vſurarum modo, & legitimæ vſuræ appellatione.

Cap. I.

TOTA de vſuris quæſtio multorum abunde libris explicata eſt. Illud omnes ſilentio prætermiſiſſe, miror, quis, & qua lege conſtitutus fuerit legitimus ille vſurarum modus, qui noſtris Iurecõſultis tam ſæpe in ore eſt. l. iii. §. vlt. D. quod certo lo. l. pecuniæ l. placuit. D. de vſur. l. iij. in fin. D. de annu. leg. l. idemq;. §. ſi procurator. D. mandati. l. cùm debitor D. in quib. cauſ. pign. l. j. §. j. D. de pignor. l. iiij. D. de naut. fœn. De quo prius quàm dicam quod ſentio, hoc imprimis conſtare volo legitimum vſurarum modum appellari ſtatutum vſuris terminum, præſcriptumq; modum ſeu finem, ad quem vſque vſuras licuerit ſtipulari: exemplo eo, quo & modum legatis conceſſum lege Falcidia dicimus, quæ dodrante tenus legare permiſit. l. ſi vſuſ-fructus. D. ad legem Falc. l. quod condicionis. D. de donatio. cauſa mort. l. ſi legatarius. D. de dolo. & Inſtitut. de l. Falcid. in prin. Huiuſmodi verò vſurarum finem ante Iuſtinian. centeſimam fuiſſe, contendo. Ex omnibus enim cauſis centeſimam ſtipulari licuit, ſupra centeſimam ſtipulari nihil licuit: licitumq; fuit quod intra centeſimam conſiſtebat, illicitum quod eam excedebat, fœnus: vt l. 2. de vſuris in C. Th. liquido conſtat. præterquam

in nauticis pecuniis,in quibus quasi pro pretio periculi,quod in se creditor recipiebat, maiores centesimis vsuræ in stipulatum deduci poterant. l. cos. §. j. C. de vsur. Nam & cùm ad creditorem pecuniæ traiecticiæ periculum non pertinebat, intra legitimum modum vsurarum exactio coërcebatur. l. ij. C. de naut. fœn. ac tamdiu demum à legitimarum aut vulgarium vsurarum obseruatione libera traiecticia pecunia erat, quamdiu periculo creditoris, nauis in salo nauigabat: ad eum vero, cùm in portu nauis stabat, discusso omni periculo, reuocabatur. l. j. C. de naut. fœn. Idcirco quod pro operis serui traiecticiæ pecuniæ gratia, vt fieri solebat (l. traiecticiæ. D. de obligat. & actio.) l. qui Romæ. §. Callimachus D. de verb. obligat. secuti, in stipulatum deductum erat, non vltra finem centesimæ debebatur. l. nihil. §. pro operis. D. de naut. fœn. Cuius vera lectione ex Pandectis Florentinis pridem prodita, sunt tamen qui in eo adhuc errore versentur, vt nulla illius legis bene interpunctæ ope, contra diserta atque aperta Iustiniani verba, affirment, cẽtesimarum vsurarum obseruatione antiquitus traiecticiam pecuniam circumscriptam. Hoc verò qui admittunt, omnẽ peruertunt nauticarum, ceterarumq, pecuniarum differentiam. Etenim vel extra nautici fœnoris causam centesimas vsuras toleratas ac iure permissas, & Cic. in epist. ad Attic. & Paulus in l. lecta. P. de reb. cred. & Sidonius Apollinaris, lib. iv. Ep. xxiv. & l. si pro mutua. C. si cert. pet. & d. l. 2. de vsuris in Cod. Th. probant. Nec tamen nego centesimas vsuras grauissimas olim visas, neque passim frequentatas. vt & Maximæ & Grauissimæ appellentur in l. qui sine. D. de negot. gest. l. tutor. §. idem solent. l. non existimo. D. de administr. tut. & sanguinolentæ à Seneca lib. vii. de de Benefic. cap. x. Hoc verò dico licitas, legeq; permissas fuisse, ac proinde legitimarum vsurarum appellatione exaudiendas. Quod cum dico, graues mihi constitutos esse aduersarios scio, qui de hac re secus atque ego sentiant, quorum auctoritati ipsa veritate nixa sententia nostra apud æquos iudices non cedet. In hac adeò opinione plurimùm aliquot locorum coniunctione, collationeque confirmor. Nam pecuniæ, quam in vsus suos verterint, modò legitimas, modò

maximas vſuras debere tutores dicuntur. l. tutor qui repertorium. §. pecuniæ. l. non exiſtimo. D. de adminiſtr. tut. l. j. C. de vſur. pupill. l. iij. C. arbitr. tut. l. qui ſine. D. de neg. geſt. quibus verbis cùm promiſcuè atque indifferenter noſtri auctores vtãtur, maximã autem vſuram centeſimam accipi oportere nemo neget, quòd ea amplior vberiorq; nullla licita fuit, vt & d. l. ſi pro mutua. probat: conſequens eſt & legitimæ vſuræ appellatione centeſimã intelligi. Alia verò in illa quæſtione legitimarum, alia pupillariũ vſurarum, quæ à nonnullis confunduntur, cauſa conſtituenda eſt. Non enim quę pupillis præſtantur vſuræ, centeſimæ ſemper incrementum recipiũt, ſed in his demum cauſis, quæ legibus definitæ ſunt: videlicet, ſi vel pecuniam in vſus ſuos tutores verterint, vel apud ſe pecuniam non eſſe improbè inficiati mendacii prætoris ſententia conuicti ſint, vel deponere pecuniam in prædiorum comparationem iuſsi id facere neglexerint, aut à debitoribus pupillaribus centeſimas exegerint, vel ipſis pupillis ad onera ſua expedienda ſub iiſdem vſuris pecuniam accipiendi neceſsitatem impoſuerint, cùm nullam penes ſe quãtitatem eſſe falsò negaſſent. Ex reliquis cauſis, cùm tutelæ reſtitutioni vſurarum emolumentum accedit, non maximæ legitimæq; tutori irrogantur, ſed ſecũdum morem regionis, in qua res agitur, vel quincunces vel ſemiſſes vel trięntes, aut quæ aliæ in ea regione frequentantur. d. l. tutor. §. pecuniæ. §. quæ ſint autem. & l. ij. C. de vſur. pupillarib. l. ſi poſtea. D. rem pupilli ſaluã. fo. Pupillarium igitur vſurarum modus iudicis arbitrio extra quam ſi cũ tutore ex ſuprà ſcriptis cauſis pupilli agãt, vel ipſi a debitoribus ſuis centeſimam ſint ſtipulati, ad regionis morẽ redigitur, argu. l. j. D. de vſur. Atq; ita in l. quotiẽs. §. ſed & ſi D. de adm. tut. & aliàs vbi occurrent, pupillares vſuræ accipiendæ ſunt. Verùm ne longius à propoſito aberret oratio, concludamus tandem, vſurã legitimã, cẽteſimæ fine modoq; cõtineri. Ex quo efficitur ad cẽteſimam referendum eſſe, quod & reſponſum & conſtitutũ eſt, in fraudem vſurarum adiectam pœnam in eo quod legitimam vſuram excedit, non valere. l. Iulianus. §. idem Papinianus. D. de actionib. empt. l. cũ allegas. C. de vſur. Eodẽq; modo apud Papinian. in l. j. §. pacto. D. de pignorib. illa verba

fini legitimæ vsuræ sic interpretanda esse, id est intra centesimæ modum. Quibus ita positis, reliquum est, vt quare centesima legitimus vsurarum modus appelletur, inuestigemus. Eam verò appellationem ex eo descendere nemini non probabitur, quia lege aliqua præscriptus & constitutus vsuris hic modus fuerit. Id enim demum legitimum in libris nostris, vt aliàs pluribus ostendam, appellari solet, quod lege aliqua vel senatusconsulto proditum confirmatúmue est. Coërcitam verò multis legibus fœneratorum acerbitatē constat, legesq; in hanc sententiam latas fœnebres appellatas Festus lib. vi. auctor est. Sunt & principum constitutionibus illicitæ fœnerationes repressæ. l. cōstitutionibus. C. de vsur. Sed qua potissimum lege intra centesimam vsurarum exactio cohibita sit, hoc est de quo quærimus, & cuius gratia tota hæc disputatio suscepta est. Puto autem hoc esse Gabinia lege, senatusque consultis effectum: quibus hoc comprehensum fuisse Cicero lib. v. epist. ad Attic. indicat, vti in creditorum causa centesimæ perpetuo fœnore ducerētur, vetitumq; ex ea syngrapha ius dici, ex qua maius vsura centesima fœnus promissum esset: nec tantum fœneratoribus, & supra modum lege constitutum accipientibus, sed & versuram facientibus pœnam constitutam. Quod & in Cilicia edicto translaticio cauisse se cùm eam prouinciam pro consule obtineret, Cicero refert. Eiusmodiq; à Lucullo Asiam proconsule regente edictum propositum Plutarchus in eius vita scribit: πρῶτον μὲν, ait, ἑκατοστὴν ἐκέλευσε, καὶ μὴ πλέον εἰς τοὺς τόκους λογίζεσθαι. Apparet igitur legitimæ vsuræ nomen centesimæ meritò tribui. arg. l. legitima. D. de pact. l. i. D. vnde legit. eodemq; sensu licitū vsurarum modum accipi oportet in l. solutum. §. si in sortem. D. de pigneratic. act. & l. pœnam D. de vsur.

Vnde legitima ætas appellata sit. CAP. II.

QVOD proximè de vsura, id nunc de ætate legitima in mentem venit quærere, quid causæ sit, cur ita passim in libris nostris XXV. annorum ætas appelletur. Sic enim appellatur in l. ex duob⁹. D. de neg. gest. l. quæro. in fi. D. de testamēt. tut. l. i. D. de fideiussor.

tutor.l.cùm pater.§.curatoris.D.de legat.lib.ii.l.Aurelio.§.i. D.de liber.leg.l.vlt.§.diuus.D.de publican.l. si fideiussores. D.de fideiussorib.l.vlt.in fi.D.de appellatio.l.penult.C.quãdo dies leg.ced. & aliis multis locis multos de ea re quid sentirent percontatus,nullum vmquam relatu dignum responsum tuli.Probabile quidem est inde appellationem hãc fluxisse,quod lege aliqua adolescentibus id spatium ætatis ad res suas recipiendas præscriptum fuerit. Id modò in dubitationem venit,qua sit istud lege constitutum. Enimuerò si in re obscura & antiquitatis tenebris inuoluta hariolari licet, temptabo dicere lege Lętoria id esse inductum,quam de minoribus xxv.annis scriptam,totamq; in eo argumento versatam ex iis eius legis capitibus,quæ ad nos peruenerunt, facilis coniectura capi potest. Quorum vnum ex Cic. lib. iii. Offic. colligimus, quo circumscripto adolescentium vindicabatur,ætatiq; fraudibus expositæ succurrebatur. Verba eius hæc sunt,Dolus malus legibus erat vindicatus,vt tutela xii.Tab. Circumscriptio adolescentium lege Lætoria.Idem lib.iii.de Nat.deor.iudicium publicum rei priuatæ lege Lætoria. Alterum ex Spartiano in M. Anto. Philosophi vita, quo minoribus xxv. annis curatores dandos continebatur. Tertium ex Sueton.lib. iiii.prætorum,quo minores xxv.annis stipulari vetabantur,id est vt Priscian.lib.viii.& lib. xviii. interpretatur, ἐπερωτᾶσθαι, & vt nostri auctores loquuntur, spondendo obligari. Quò respexisse Plautum in Rudente, vir clarissimus,idémq; in omnium bonarum artium disciplinis egregius,Æmarus Ranconetus me aliquando admonuit. Verba Plauti hæc sunt:

— Cedo qui cum habeam iudicem,
Ni dolo malo instipulatus sis,niue etiam dum siem
Quinque & viginti annos natus.

Quintilian.declam. 282. sicuti nomẽ pupillorũ legitimo tẽpore finitur. Quibus ego coniecturis adductus ad suspicandũ id quoq; ea lege cautũ fuisse,aut nisi lege expressũ fuit, ex sẽtentia certè arreptum crediderim, vt adolescentibus rerum suarum administratio tum demum,cùm ad vicesimumquintũ annũ peruenissent,cõmitteretur: Atque eam legẽ Plautus fortè intellexit,cùm in Pseudolo sic Callidorũ loquẽtẽ facit:

Tum lex me perdit quina vicenaria,
Metuunt credere omnes.

Credibile quoque est ex hac lege descendisse tempus in integrum restitutioni statutum: quod & idcirco legitimum appellatur in l.interdum.D.de minorib.l.vn.C. si aduer.dot. Sed enim coniecturam nostram diserte comprobat constitutio quæ nuper in lucem prodiit quæ hic subiungenda est.

Legis Iuliæ Miscellæ sententia in aliquot Iureconsultorum locis demonstratur.

Cap. III.

CONDICIONES, quæ aliquod omnino nuptiis impedimentum adferunt, tamquam in fraudem legis adiectas, reiici, consentiens in vnum omniũ Iureconsultorum fert opinio. In his Papinianus, *Quod in fraudem*, ait, *legis ad impediendas nuptias adscriptum est, nullam vim habet*, veluti, TITIO PATRI CENTVM, SI FILIA QVAM HABET IN POTESTATE, NON NVPSERIT. vel FILIO FA. SI PATER EIVS VXOREM NON DVXERIT, l.hæres.§.vlt.D. de condi. & dem. Et alias, hac mulieri iniecta condicione, SI ARICIAE NON NVPSERIT, interesse traditur, verùm fraus legi facta sit, néc ne. Nam si ea sit, quæ alibi nuptias non facilè inuenire possit, interpretandum Iulia censebat, ipso iure rescindi, quod fraudandæ legis gratia esset adscriptum. Legem enim vtilem Reipub. sobolis scilicet procreandæ causa interpretatione adiuuandam esse.l.hoc modo.D.de cond.& demonstr. Legis denique beneficio aliis id genus condicionibus reiectis mulieres sibi relicta legata capere nostri auctores definiunt in l.cum tale.§.rescriptum.l.mulieri.D.eod.tit. Reticetur vero in iis omnibus locis eius vtilissimæ legis nomẽ quod ego post accuratam cogitationem inuentum ignorari diutius non patiar. Mea hæc est coniectura (temerariam enim adseuerationem, quoad viris doctissimis hoc probari intellexero, inhibebo) legem Iuliam Miscellam significari, qua id comprehensum fuisse Iustinian. in l.ii.C.de indicta vid.toll.

& in Nou.Constit.xxii.de nuptiis §.quæ vero,auctor est, vt mulieres, quibus mariti viduitatē induxissent, etiam secūdis contractis nuptiis nihilominus sibi relicta legata consequerentur,præstito prius iureiurando se procreandæ sobolis gratia ad secundas nuptias euolare. Cui legi Iustinian.in illis locis,quoad ad iusiurandum attinet, obrogauit. Eo verò lex per interpretationem prudentium producta est,vt omnes inde condiciones,quæ liberam auferant nuptiarum contrahēdarum potestatem, legatariis remittantur, quasi nullam fieri nuptiis moram oportere lex senserit.

Quibus magistratibus, & qua lege multam dicere permissum fuerit.

CAP. IIII.

HIs demum competere multę dicendæ ius Vlpianus tradit,quibus publice iudicium est,vel,vt idē alio loco scribit,quibus iudicatio data est.l. aliud est fraus. D.de verbor.signific.l.ii.in fi. D. de iudic.Secundū hoc magistratus omnes Romę multę dicēdę ius habuisse inuenio.Nam vt a Coss.ordiar,vel ipsis Senatoribus,qui tardius in senatū venissent,vel omnino non venissent,multam irrogasse eos Cicer.in Anton.ostendit.De prætore satis in Pandectis expressum est. l. ii. D. si quis in ius voc.non ier.l.i.§. i. D. de vent.inspic. Ædiles quoque multā dixisse,& Liuius aliquotiens,& Gellius lib.x.cap.vi.indicant. De Tribunis plebis,si quis Gellii lib.vii cap. xix. auctoritatē desugiat,exemplis Liuius abundat. ex quo etiam didicimus, à Tribunis dictæ multæ certationem apud populum fuisse, qui de ea concilio habito statuebat. Horum tamen repressa Neronis temporibus potestate etiam illud constitutum Tacit.lib.xiii.refert,vt ne multam ab his dictam Quæstores ærarii in publicas tabulas ante quattuor menses referrent. medio tempore contradicere liceret, déq; eo Coss.statuerent. Verum enimuero hanc sibi multæ dictionem in libera Republ. magistratus propria auctoritate non vindicarunt. Legem itaque fuisse ambigendum non est, quæ nec obedientes

& noxios ciues multa pro iurisdictione sua coërcere magistratibus permiserit. Eam ab A. Aterino & Sp. Tarpeio Coss. latam Dionys. Halicar. lib. x. his verbis docet. πρῶτον μὲν οὖν ἐπὶ τῆς λοχίτιδος ἐκκλησίας νόμον ἐκύρωσαν, ἵνα ταῖς ἀρχαῖς πάσαις ἐξῇ τοὺς ἀκοσμοῦντας εἰς τὴν ἑαυτῶν ἐξουσίαν, ζημιοῦν. Τέως γὰρ οὐχ ἅπασιν ἐξῆν, ἀλλὰ τοῖς ὑπάτοις μόνον. Curatoribus etiam aquarum multæ dicendæ ius Senatusconsulto, quod à Frontino sub fi. lib. ii. de Aquæductib. ponitur, concessum fuit. Pręsidibus prouinciarum id ipsum principalibus mandatis permissum, Vlpian. in d. l. aliud. in fi. auctor est. Procuratoribus verò suis hanc ipsimet Cæsares potestatem denegarunt. l. ii. C. de modo mult.

De vetusta aquæ & ignis interdictione, & ea quæ in locum eius successit, deportatione.

Cap. V.

NEQVE libertatem, neque ciuitatem inuitus quisquam amittere iure Quiritum poterat, quemadmodum à maioribus constitutum Cicero in suis pro Corn. Balbo, pro A. Cæcinna, pro Domo sua orationibus scribit. Eodem iure ciui Rom. spiritus eripi, vitáq; adimi non poterat: quod elegantissimè apud Salust. in Coniuratio. Catilin. Cæsar persequitur. Atque ita nec ciuitate extrudi, nec vltimo supplicio adfici noxii ciues poterant. Quorum tamen impunita peccata non relinqui, cùm disciplinæ publicæ vigor postularet, inuenta ratio est, qua ciuitate, saluis maiorum constitutionibus pellerentur. Nimirū aqua & igni sontibus interdici institutum est, vt his subsidiis, quibus vita humana continetur, destituti, in alias terras migrare, seq; in aliam ciuitatem conferre cogerentur, in quam recepti Romanam amittebant: quòd duarum ciuitatum eos esse ciues æquè Romanorum instituta legésq; non paterentur, vt à Cicero. pro Balbo, & à Cornel. Nepote (si modo is eius libelli auctor est) in Pompo. Attici vita traditum est. Hoc ergo consilio duobus illis elementis, sine quibus vita foueri non potest, interdicebantur: quæ proinde nuptiis quoq; adhibi-

adhibita Plut. in Problemat. Festus lib i. & Scæuola in l. penult. §. i. D. de donat. inter vir. testantur. Quorum vtrumq; Ouid. lib. iiii. Fastor. duobus his versibus complexus est:

An quod in his vitæ causa est, hæc perdidit exul,
His noua fit coniux, hæc duo magni putant?

Seruius ad hunc Virgilii versum lib. xii. Æn. alii fontemq; ignémq; ferebant. Sane, ait, ad facienda fœdera aqua & ignis " adhibetur. Vnde & contra quos arcere volumus à nostro " consortio eis aqua & igni interdicimus, id est, rebus quibus consortia copulantur. Lactantius lib. ii. Institut. cap. xi. Exuli- " bus quoque, ait, aqua & igni interdici solebat. Adhuc enim " nefas videbatur, quamuis malos, tamen homines supplicio capitis adficere. Interdicto igitur earum rerum vsu, quibus vita humana constat, perinde habebatur, ac si esset, qui eam sententiam exciperet, morte multatus. Ex quibus cum Pompo. in l. vlti. D. de legatio. efficimus populum vi ipsa ciuitate expulisse eos, quibus aqua & igni interdicebat, cùm ne tecto quidem excipere eos liceret. Quod & ipsa interdictione nominatim comprehensum fuisse Cicero pro Domo sua indicat. Qui ciues, ait, Romani erant capitalium condemnati, nō " prius hanc ciuitatem amittebant, quàm erant in eam recepti, " quò vertendi, hoc est mutandi soli causa venerant. Id autem " ne esset faciendum. non ademptione ciuitatis, sed tecti, aquæ & ignis interdictione faciebant. Plut. in Mario ἐκ τούτου ψηφίζεται Σατορνῖνος, ἀποκηρύξαι τοὺς ὑπάτους, ὅπως πυρὸς καὶ ὕδατος καὶ στέγης εἴργηται Μέτελλος. Idem in Cicero. ὡς δ' ἦν φανερὸς ἤδη πεφευγώς, ἐπήγαγεν αὐτῷ φυγῆς ψῆφον ὁ Κλώδιος καὶ διάγραμμα προὔθηκεν εἴργειν πυρὸς καὶ ὕδατος τὸν ἄνδρα καὶ μὴ παρέχειν στέγην ἐντὸς μιλίων πεντακοσίων Ἰταλίας. Appian. lib. i. bello. ciuil. ψήφισμά τε φυγῆς ἐπέγραφον αὐτῷ καὶ τοὺς ὑπάτους ἐπικηρύξαι προσεπιθέσαι μηδένα Μετέλλῳ κοινωνεῖν πυρὸς καὶ ὕδατος ἢ στέγης. Quinetiam qui ita damnatos celassent, recepissent, tenuissent, lege Iulia de vi tenebantur, quēadmodum Paul. lib. v. Sentent. tit. xxviii. scribit. Quod à Cæsare, cùm damnatis de vi aqua & igni interdici iuberet, legi suæ insertum fuisse probabile est. Sed & antea pœna quædā statuebatur iis qui tecto hospitiove damnatos iuuissent, qua spreta se humanissime acceptum à Lenio Flacco quo cum & hospitii ius intercedebat. Cicero his verbis ad Terentiam.

» scribit, Nos Brundusii apud M. Lenium Flaccum dies xiii.
» fuimus, virum optimum: qui periculum fortunarum & ca-
» pitis sui pro mea salute neglexit: neq; legis improbissimæ pœ-
» na deductus est quominus hospitij & amicitiæ ius officiumq;
» præstaret. Hoc amplius, cùm Senatoribus aqua & ignis interdicebatur, rogationi adscribi solitum ex eadem Ciceron. oratione colligimus, vt ne eum suo loco censor legeret, vt non modò non inciuium numero esset, sed nec in eo dignitatis, in quo collocatus esset, gradu stare permitteretur. Atque hæc pœna antiquis legibus (quemadmodum ex libris nostris, Liuiiq; ac Paterculi & aliorum qui res gestas pop. Rom. litteris prodidere, scriptis intellegimus) nulla exilij facta mentione irrogabatur. Mansitq; eius vsus ad Imperatorum vsque tempora, quibus primùm reorum in insulas deportatio in Remp. inuecta, & ne iuris antiqui vincula apertè reuelli viderentur, in locum aquæ & ignis interdictionis suffecta est, vt vetusti moris vmbra retenta, qui deportarentur, sic haberentur quasi aqua & igni interdicti essent. l. ii. §. i. D. de pœn. l. iii. D. ad legem Iuli. pecul. l. penult. in fin. D. de var. & extr. Itaque aqua & igni interdictos nostri deportatos interpretantur. l. j. §. hi quibus. D. de legat. lib. iii. l. ii. D. de pub. iud. nou. Constit. xxii. Eadémq; illorum verborum & in aliis locis interpretatio facienda est. l. Imperator. D. de statu ho. l. qui dolo. in fi. D. de vi publ. l. amissione. D. de cap. min. l. iiii. in fin. D. de gradib. l. cùm quis. D. de solutio.

Constitutiones duæ de interdictis proferuntur.

CAP. VI.

ERE est, quando in hoc sermone versamur, Augusti cōstitutionem de aqua & igni interdictis, in medium proferre, qua in continenti & in insulis, quæ quadringētis minus stadiis à cōtinenti abessent, exceptis Rhodo, Co, Lesbo, Sardibus, morari eos versaríq; prohibuit, alia præterea quædam constitutione sua complexus, quæ Dion lib. lvi. ita rettulit: ἀπηγόρευσε μηδένα πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθέντα, μήτε ἐν ἠπείρῳ διατρίβειν, μήτε ἐν νήσῳ

τῶν ὅσαι ἔλαττον τετρακοσίων ἀπὸ τῆς ἠπείρου σταδίων ἀπέχουσι, πλὴν Κῶ τε καὶ Ῥόδου, Σαρδοῦς τε καὶ Λέσβου. ταύτας γὰρ οὐκ οἶδ' ὅπως μόνας ὑπεξείλετο. ἐκεῖνά τε οὖν αὐτοῖς προσέταξε καὶ τὸ μήτε περαιοῦσθαί τῃ ἄλλοσε, μήτε πλοῖα πλείω φορτικοῦ τε ἑνὸς καὶ χιλιοφόρου, καὶ κωπήρεων δύο κεκτῆσθαι, μήτε δούλοις ἢ καὶ ἀπελευθέροις ὑπὲρ εἴκοσι χρῆσθαι, μήτε οὐσίαν ὑπὲρ δώδεκα καὶ ἡμίσειαν μυριάδα ἔχειν. Quam constitutionem ad deportatos pertinere palam est, qui insulis concludi, & quasi aqua & igni interdicti ciuitate arceri solebant. Cuius fugæ tædio ne res nouas molirentur, & bonis suprastatutam quantitatem exuendos, & à continente procul remouendos, nauium insuper longarum seu onerariarum cõparatione, magnoq; famulitio interdicendos Augustus putauit. His etiam (quod ad illustrationem l. eius §. i. D. qui testam. fac. pos. pertinet) testamenti factionem ademisse Tiberium idem Dio lib. lvii. scribit, ἀπεῖπεν, ait, ὁ Τιβέριος τοῖς πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθεῖσι μὴ διατίθεσθαι. Fuit verò alia veteribus quoque vsitata interdictio, quæ non latam fugam, sed loci dumtaxat vnius vel prouinciæ interdictionẽ continebat: ad quam pertinentem constitutionem, ab Vlpian. sine auctoris nomine relatam, auctori suo vindicabo. Ait ille, constitutum esse eum, cui patria interdictum est, etiam vrbe abstinere debere. Id quod ab Imperatore Claudio constitutum Sueton. in eius vita cap. xxiii. ita declarat. Sanxit, vt hi, quibus à magistratibus prouinciæ interdicerentur, vrbe quoque in Italia submouerentur. Et est hoc consequens ei quod dicitur, Romam communem patriam esse. l. Roma. D. ad municip.

De libellis, qui principibus offerebantur.

Cap. VII.

QVOTIENS in l. diuus. D. de re iudic. incido, quæ diuum Hadrianum aditum per libellum à Tarentino narrat, totiens mihi vetus adeundorum, cõpellandorúmq; principum mos in mẽtem venit, quos vel à præsentibus libello adiri solitos Tacit. lib. iiii. ostendit. Componit, ait, ad Cesarem codicillos. Moris quippe erat, quamquam præsen tem scripto adire. Tran-

quill.in Aug.cap.liii. Promiscuis salutationibus admittebat & plebem, tanta comitate adeuntium desideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, quod sic sibi libellos porrigere dubitaret, quasi Elephanto stipem. Idem in Domitian. cap. xvii. Stephanus professus coniurationis indicium, & ob hoc admissus legenti traditum à se libellum & attento inguina suffodit. Martial. lib. viii. Epigram.

Dante tibi turba querulos Auguste libellos,
Nos quoq; quod domino, carmina parua damus. Et alias.
Sed iam supplicibus dominum lassare libellis
Desine, & in patriam serus ab vrbe redi.

Iustin. Martyr in Apol. pro Christian. καὶ ἡ μὲν βιβλίδιον σοὶ τῷ αὐτοκράτορι ἀναδέδωκε πρότερον συγχωρηθῆναι αὐτῇ διοικήσασθαι τὰ αὐτῆς. Sic libellum principi datum in libris nostris sæpe legimus. l. libertus. D. de in ius voc. l. item apud Labeonem. §. si quis libello. D. de iniur l. relegatorum. §. relegatum. D. de interd. l. quæsitum. D. ad Turp. & C. tit. quādo libel. princ. dat. Libellis verò vel subscribebat ipse, vel subscribendi curā aliis mādabat: easq; subscriptiones vim legis habuisse definit l. i. D. de cōstit. princ. quarum extra exemplū in l. nō distinguemus. § cū quidā. D. de arbitr. Atq; huic subscribēdi muneri Iurispe riti plerumque ab Imperatoribus præficiebantur. Ita rescriptum refert Trypho ab Imperatore libellos agente Papiniano. l. rescriptū. D. de distract. pign. & Aurelius Arcadius magister libellorum dicitur in inscriptione. l. i. D. de offic præf. prætor. Id quò illustriùs appareat, libelli à Celso Iureconsulto subscripti, cuius fides ex Iani Parrhasii Cataneiq; scriptis constat, exemplū ex Antiquis Inscriptionibus subiiciā, vnde vetusta concipiēdorum subscribendorúmq; libellorum formula intelligatur. Verba libelli ita habent: CVM ANTE HOS DIES CONIVGEM ET FILIVM AMISERIM, ET OPPRESSVS NECESSITATE CORPORA EORVM FICTILI SARCOPHAGO COMMENDAVERIM, DONEC IS LOCVS QVEM EMERAM ÆDIFICARETVR VIA FLAMINIA INTER MILIARIVM II. ET III. PARTE LAEVA, ROGO, DOMINE IMPERATOR, PERMITTAS MIHI IN EODEM LOCO IN MARMO

REO SARCOPHAGO, QVEM MIHI MODO COMPARAVI, EA CORPORA COLLIGERE, VT QVANDO ME ESSE DESIERO, PARITER CVM IIS PONAR.

SEPVLCHRVM FIERI PLACET,

IVBENTIVS CELSVS PROMAGISTER SVBSCRIPSI III. NON. NOVEMB. ANTIO POLLIONE ET OPIMINIO COSS. Huic, quantum existimo, muneri præpositi, à posterioribus principibus, Libellenses appellantur.

Vetus rerum venalium proscribendarum mos explicatur.

Cap. VIII.

SI quis pignus proscripserit, venditurus tamquam à me acceperit, infamandi mei causa, cum eo iniuriarum agi secundum Seruii Sulpitii sententiam potest: vt est ab Vlpian. scriptum in l. item apud Labeonem. §. item si quis pignus. D. de iniur. In quo ego veteris moris reliquias adgnosco, quo venalia prædia proscribebantur, id est, proposito diuulgatoq; libello venum ire, venumq; exponi significabantur: vt ego Plauti, Ciceronisq; testimoniis planum faciam. Plaut. Trinummo:

Quia ruri dum sum
Ego vnos sex dies, me absente atque inconsultu meo
Aedes venales hisce inscribit litteris.

Cic. iij. officior. Claudius, ait, ædes quas in Cælio monte « habebat, proscripsit, insulam vendidit. Emit P. Calphurnius « Lanarius. Et paulò post: Sic tu cùm ædes proscribas, tabulam « tamquam plagam ponas, domum propter vitia vendas, in « eam vt aliquis incurrat imprudens. Cuiusmodi tabula forte « in specie à Iuliano proposita significatur, in l. Iulianus. §. idē Iulianus. D. actio. empt. Maximè verò in auctionibus libelli isti ac tabulæ figebantur, vt admonerentur quos emendi cupiditas teneret, qua die, quibus legibus, condicionibusq; prædia addicerentur, vt ex oratio. Cicero. pro Quintio, & aliquot epistolarū ad Att. libri precipuè duodecimi locis per-

" ſpicuè demonſtratur. Plinius lib. vii. Epiſtol. ad Fabat. Mi-
" raris quod Eros libertus meus hereditarios agros, quos ego
" iuſſeram proſcribi, non expectata auctione addixit. Quin &
" hoc idem in locandis ædibus ſeruatum deprehendi, vt pendente de ædibus tabula proſcriberetur facienda locatio. Terentius Heautontimor.

Inſcripſi ilicò ædes mercede.

" Cic. lib. xvj. ad Attic. Iſte locare incipit, non proſcripta ne-
" que edicta die.

Quæ ſint ſeruilia verbera. Cap. IX.

In metallum damnatis libertatem adimi Calliſtratus in l. in metallum. D. de iure fiſ. ex eo demonſtrat, quòd ſeruilibus verberibus coërceâtur. Val. Max. lib. vi. cap. j. Cum propter domeſticam rui-
" nam & graue æs alienum G. Plotio nexum ſe dare adoleſcē-
" tulus admodum coactus eſſet, ſeruilibus ab eo verberibus
" quia ſtuprum pati noluerat affectus querelam ad Coss. de-
" tulit. Seruilia verbera, flagra, flagella, lora, interpretor, quibus ſeruos rumpi ſolitos præter veteres comœdias, quarum huc teſtimonia, quòd in promptu ſint omnibus, aduocare nihil neceſſe eſt, etiam l. ſed eſt quæſtionis. §. pen. & l. item apud Labeonem. ſ. adiicitur. D. de iniur. aliæq; à me infrà poſitæ oſtendunt, cùm liberi fuſtibus dumtaxat caſtigarentur. l. capitalium. ſ. non omnes. D. de pœn. l. vlt. D. de iniur. Quod & Seneca in libello ioculari de morte Claudii ſignificat, eodem argumento euincens Claudium in ſeruitute fuiſ-
" ſe, quòd ſeruilibus verberibus vapulaſſet. Apparuit, ait, ſubi-
" to C. Cæſar, & petere illum in ſeruitutem cœpit. Producit
" teſtes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis, vapulantem. Idemq; in lib. de Clementia, equitem quemdam Roma. quia filium ſuum flagellis ceciderat, pene à turba in foro graphiis confoſſum narrat, indignum facinus exiſtimāto populo ſeruiliter à patre ingenuum filium tractari. Iuſtin.
" lib. j. Epitomes Trogi Pomp. Mox rex inter ludentes ſorte
" delectus, cum per laſciuiam contumaces flagellis cecidiſſet,
" à parentibus puerorum querela eſt regi delata indignantibus

à seruo regio ingenuos homines seruilibus verberibus affe-„ ctos. Prudentius in Enchiridio veteris & noui instrumenti.„

-Atque columnæ

Adnexus, tergum dedit vt seruile, flagellis.

Hinc animaduertere possumus, quibus ex causis liberi fustibus castigantur, ex iisdem seruos flagellis cœdi l. in seruorum D. de pœn. l. leuia. D. de accusatio l. Pedius. ¶. j. D. de incend. rui. Leuiorem autem fuisse fustium quàm flagellorum castigationem ex eo satis apparet, quòd fustium admonitio in leui & modica castigatione ponitur, flagellorũ contrà verberatio in atroci coërcitione grauissimaq; & seruili iniuria consistere censetur, vt ex coniunctione l. sed sicut. in fin. D. de vsufruct. cum l. item apud Labeonem. ¶. si communem. D. de iniur. & l. prætor edixit. §. præterea. D. eo. tit. cum l. sed si hac lege. §. penult. D. de in ius voc. illucescit. Denique fustium ictus, admonitio vocabulo ipso pœnæ lenitatẽ significante appellatur, l. veluti. D. de pœn. Vnde quod à Venuleio traditur, atrociter verberãdi ius legatum pro cõsulis nõ habere. l. si quid erit. D. de offic. proconsul. id ad flagellorum coërcitionẽ proculdubio referendum est. Verũ vt ad Callistrat. reuertar, in eo quoq; damnatos in metallũ seruilibus modis habitos obseruaui quod stigmatum notis deformarẽtur, vt ex Sueton. in Caligula cap. xxvii.

De ædilibus municipalibus. CAP. X.

NON Romæ tantùm, sed & in municipiis Ædiles fuisse non abs re adnoto, quandoquidem eius rei ignoratione, quæ de municipalibus dicuntur, de vrbanis magistratibus dicta inscite accipi video. Nostrorum primùm, dein aliorum auctorum locos ponam. In l. qui insulam. §. i. D. loca. Ædilem in municipio balneas conduxisse narratur. Obscurius in l. eos. D. de decurionib. huiusmodi Ædilis significatur, de quo tamen sensisse legem, vel titulus ipse, sub quo ea posita est, arguit. An & eodem modo in l. non tantùm §. is qus ædilitate, D. de excus. tut. vox ista accipienda sit, controuersia est, & alterius loci quæstio.

Nunc indubitatis testibus res conficienda est. Cic. ad Brut. lib. xiij. epist. Nam constituendi municipii causa hoc anno Ædilem filium meum fieri volui, & fratris filium, & M. Cæpium hominem mihi maximè necessariũ. Is enim magistratus in nostro municipio, nec alius vllus creari solet. Spartia. in Hadria. Per Latina oppida Ædilis & Dictator fuit & in patria sua Quinquennalis per Latina oppida, veluti Vlubris, Arreti, Nouarræ, & alijs id genus. Iuuenal, Sat. x.

- Vasa minora

Frangere pannosus vacuis Ædilis Vlubris.

Persius Sat. iij.

Fregerit heminas Arreti Aedilis iniquas.

Idem Sat. iij. de oppidis Italiæ agens videbis,

-- Aequales habitus illic

Orchestram & populum, clari velamen honoris

Sufficiunt tunicæ summis Aedilibus albæ.

Sueton. in lib. de clar. Rhetorib. Caius Albutius Silus Nouarriensis cùm Ædilitatem in patria gereret. Ammian. » Marcellin. lib. xxviij. Occisis decurionibus multis inter » quos rusticanus sacerdotalis & Nicasius enitebat Ædilis. Legitur & in Antiquis inscriptionibus persæpe hoc nomen, & quidem à Duumuiris nonnumquam separatum: vt diuersam à Duumuiratu honoris municipalis speciem Ædilitatem fuisse non malè à quibusdam existimetur.

Quæ fuerint olim solemnia patrimoniorum onera.

Cap. XI.

VECTIGALIA & patrimoniorum onera solemnia sustinere omnes oportere traditur in l. ii. D. de veteran. Est & aliás scriptum, ab his oneribus, quæ patrimoniis vel possessionibus indicuntur, neque numero liberorum, neque vllo alio priuilegio quem excusari. l. ii. §. numerus. vers. quæ patrimoniorum. l. ab his. D. de vac. muner. Sollemnium quoque publicarum pensitationum fit mentio in l. si velut. C. de compensatio. l. ii. C. pro soc. Proinde quibus olim oneribus, functionibusq; patri-

patrimonia ſubiicerentur, videamus. Id autem animaduerti paucis verbis ab Vlpian. fere comprehenſum in l. ſi pendentes. §. ſi quid cloacarii. D. de vſufr. his verbis: *Si quid cloacarij nomine debeatur, vel ſi quid ob formam aquæductus, quæ per agrum tranſit, pendatur, ad onus fructuarij pertinebit. Sed & ſi quid ad collationem viæ, puto hoc quoque fructuarium ſubiturum. Ergo & quod ob tranſitum exercitus confertur ex fructibus: ſed & ſi quid municipio: nam ſolent poſſeſſores certam partem fructuum municipio viliori pretio addicere: ſolent & fiſco fuſiones præſtare: hæc onera ad fructuarium pertinebunt.* Hactenus Vlpianus, cuius nos breuitatem aliorum ope adiuuabimus. Cloacarii autem tributi, item eius quod ob formam aquæductus penditur, etiam meminit in l. cum ſeruus. ¶. heres. D. de leg. lib. j. De poſteriore illud præterea in libello varior. auctor. de limitib. ſcriptum reperi. Aquarum ductus aut per medias poſſeſſiones diriguntur, quæ à poſſeſſoribus ipſis vice temporum repurgantur, propter quod & leuia tributa perſoluunt. Formas enim appellant fabricam meatus aquarum publicarum: in cuius tutelam ab his, quorum per agros aqua tranſibat, annuum tributum conferebatur. Vtitur hoc verbo Frontinus lib. ij. de Aquæductib. Vtuntur & Imperatores in l. j. (in qua tamen pro, formarum, nonnulli male forinarum emendant) & l. iii. & l. vi. C. de aquæductib. lib xi. Sed iam ad reliqua gradum faciamus. Collationem viæ muniendæ, ſternendæq; cauſa ad onus prædiorum pertinuiſſe declaratur ex l. in ſumma. C. de pign. l. Iulianus. §. idem Iulianus. D. de act. emp. l. honor. ¶. viarum. l. vlti. ¶. ſi aliquis. D. de mun. & hono. l. ſunt munera D. vacat. mun. Siculus Flacc. in lib. de Condicio. agror. Quædam ergo, ait, viæ aliquando fines trã- ſcunt poſſeſſionum, quarum tamen omnium nõ vna eademq; eſt condicio. Nam ſunt viæ publicæ regales, quæ publicè muniuntur: in quarumdam tutelam à poſſeſſoribus per tempora ſumma certa exigitur. Et hoc antiquis, Aſconio in iii. Verrin. interprete, exigere viam dicebatur. Quod verò ad tributũ ob trãſitũ exercitus, attinet, dilucidius id fit eiuſdẽ Siculi Flacci loco ad finẽ libri, de quo proximè memini, qui ita habet: Nam & quoties militi prætereũti aliive cui comitatui annona publica præſtãda eſt, ſi ligna aut ſtramẽta

deportanda, quærendum quæ ciuitates, quibus pagis huiusmodi munera præbere solitæ sint. Est de hoc argumento Nouella Iustinian. cōstitutio, quæ inscribitur, De transitu exercitus. In oneribus porrò patrimoniorum etiam hospitum susceptio ponenda est. l. iii. de munerib. patrim. lib. x. C. l. iii. §. munus. l. vlt. in fi. D. munerib. & honorib. l. i. C. de episc. & cleric. Plerumq; enim militibus superuenientibus, vel publicis personis eà iter facientibus, hospitia in ciuitatibus præberi oportuit. l. iii §. eos milites. D. de munerib. & honorib. l. illicitas. §. ne tenues. D. de offic. præs. toto tit. de metat. & epidemetic. lib. xij. C. Ab hoc tamen hospitis recipiendi munere, militibus, veteranis, medicis, philosophis vacatio immunitasq; principum constitutionibus indulta est. l. vlt. §. penult. & vlti. D. de munerib. & honorib. His adiunge quæ fisco præstabātur functiones, stipēdia, annonas, capitationes, de quibus aliâs vberius. Atque hæ sūt Tributiones, quæ possessionibus fiunt. l. penult. D. de veteran. l. rescriptum. §. vlt. D. de munerib. & honorib. & Intributiones patrimonii in l. filii. §. vlt. D. ad munic. quæ & Tributa prædiorū appellantur l. inter. l. epistola. §. pactū. D. pact. l. vsufructu legato. §. quoniam igitur. D. de vsufr. l. neque. D. de impens. in res dot. l. sine herede. §. Lucius. D. de admin. tut. l. Iulianus. §. idem Iulianus. D. de actio. empt. & munera rei cohærentia. l. sunt munera. D. de vacat. muner.

De pupillarium tabularum appellatione, & earum conscribendarum forma.

CAP. XII.

PVPILLARES tabulas in libris nostris secundas appellari nemini ignotum est: appellationis verò istius causa & ratio nescio, an æquè omnibus cognita sit, quam ego paucis patefaciam. Ante omnia autem secundas appellatas liquere volo ad differentiam paternarum, quæ & Principales & primæ tabulæ dicuntur. l. ii. §. si primis. D. de statulib. l. j. D. si cui plus quàm per l. Falcid. l. in ratione. §. quod vulgo. in fin. l. in duplicibus. D. ad legem

Falcid. l. ij. in princ. D. quemadmod. test. aper. l. post legatũ. §. qui principale. D. de his quæ vt indign. l. Lucius §. Imperatorem de lega. 2. l. coheredi §. coheres. D. de vulg. & pupil. sic secundis tabulis factam pupillarem substitutionem Scæuola refert in l. libertis §. postumis D. de alim. lega. Idẽque tabulas substitutionis eodem loco vocat. Eam veró differentiam ex eo fluxisse suspicor, quòd pupillaris substitutio in inferiore parte testamenti, & in ima cera fieri soleret. Quæ pars etiã separatim plerũque propria cera proprioq; lino cõsignabatur, cum eo vt & priore parte testamenti à parentibus caueretur, ne inferiores tabulæ viuo filio & adhuc impubere aperirentur, quemadmodum Iustinian. sentit. in §. sin autem Instit. de pupill. substit. Sed ipsa Caij verba, quæ hoc disertè continent, melius erit ex lib. ij. Institutio. tit. iiii. huc transferre. Sic autẽ habent. *Sed pupillaris substitutio ita secreta esse debet, vt ad notitiam substituti peruenire non possit, ne vitæ pupilli aliquas substitutus insidias moliatur. Nã in extrema pagina testamenti fieri debet, vt pars illa, in qua substitutio pupillaris scripta est, quamdiu pupillus annos pubertatis egrediatur, obsignata permaneat, & prior pars testamenti, in qua heres scriptus est, reseretur.* Hæc ille: secundum quæ in specie l. vlt. D. ad Trebellian. Iulius Fœbus testamento sibi facto, Polycrati filio, si intra pubertatem decessisset, secũdas tabulas fecisse refertur, matrique eius commendasse aperiendas, si impubes obiisset. Quod etiam ab eo, qui attentè leget, obseruari potest in l. si mater. in prin. D. de except. rei iud. Quamquam autem superscriptum à patre non fuisset, ne pupillares tabulæ aperirentur, si tamen seorsim signatæ relictæ essent, prætor aperiri eas, nisi causa cognita non patiebatur. l. pupillares. D. quemadmod. test. aper. Nec tamen semper seorsim à paternis pupillares tabulæ, sed & coniunctim plerumque signabantur. Quinimmo signatas esse patris tabulas sufficiebat, licet filii resignatæ essent. l. patris. D. de vulg. & pup. l. vt bonorum. D. de bonor. possess. secun. tab. Finem faciam, si prius illud adscripsero, ex his explicatu facile relinqui, quod in l. nam quod. §. si quis compulsus. D. ad Trebellian. scribitur ex testamẽto quod secundas tabulas, habebat aditam hereditatem.

De veterum habitationibus in hortis.

Cap. XIII

HABENTVR in l. lex Cornelia. §. domum. D. de iniur. hæc verba: *Quid si quis in villa habitet vel in hortis?* Quibus admonemur veteres in hortis habitationes habuisse. Quod & l. penult. D. de donatio int. vir. ostendit. & Tacit. lib. xvi. Tum ad Thraseam, ait, in hortis agente n quæstor Consulis missus vesperascente iam die. Sueton. in Claud. cap. v. Tunc demum abiecta spe dignitatis ad otium concessit, modò in hortis & suburbano, modò in Campaniæ secessu delitescens. Ascon. in Milonia. de Pompeio. Plerumque non domi suæ, sed in hortis manebat. Qua de causa mirum nemini videbitur quod de penu in hortis condita legitur in l. nam quod. §. vlt. D. de penu leg. In qua l. hoc præterea notandum censeo, quod ait, *Sed & si in hortis sit vrbi iunctis*. Nam extra vrbem Romanorum horti erant, vt Cicero lib. xii. epistol. ad Attic. indicat, cùm de horti emptione idcirco se cogitare scribit, vt ne Romæ in turba sit, & ne ab vrbe absit. Etenim qui in hortis erant, abesse, cùm in continentibus vrbis essent, non videbantur, secundum definitionem. l. absentem. D. de verb. signif. Immò præsentes eos haberi disertè traditur in l. præsens. D. de procurato. Ceterùm quæ in hortis ponebantur ædificia, voluptuaria erant, & amœnitatis gratia extructa, in quæ sui colligendi causa Romani secedebant. Atque has amœnas hortorum habitationes dietas appellabant, vt in d. l. penult. §. i. de penu leg. l. senatus. §. i. D. de leg. lib. i. l. si cuius rei. §. vlt. D. de vsufruc. l. vxorem. §. i. D. de leg. lib. iij. & apud Plin. lib. ij. epist. ad Gallum, quæ & vsitata Græcis commutatione Zetæ dicuntur à Lampridio in Heliogabalo, duobus locis: & in vita Basilii Magni qui ducentes eos in Zetam insignem, quæ ad curam sunt eis optulerunt.

De magistratuum, proconsulum, præsidumque insignibus.

CAP. XIII.

CÆCVM vtrisque luminibus orbatum idcirco postulare nõ posse Vlpiano placet, quòd insignia magistratus videre & reuereri non possit. l. i. §. casum. D. de postuland. Vbi insignia magistratus, quæ Græci ἐπίσημα τῆς ἀρχῆς vocant, eodẽ sensu, dixit quæ & Consularia insignia in l. ii. D. de his qui not. infa. & Proconsularia insignia in l. i. D. de offic. proconsul. & insignia regum apud Liu. lib. ii. & Valer. Max. lib. iiii. cap. i. dicuntur. Insignia hæc, breuiter à Prudentio in Roma. his versibus collecta sunt:

-- Nónne cursim transeunt
Fasces, secures, sella, prætexta, toga,
Lictor, tribunal & trecenta insignia
Quibus tumetis?

Et à Seneca lib. i. de Benefic. Quid habet corona pretiosum? quid prætexta? quid fasces? quid tribunal & currus? Nihil horũ honor est, sed honoris insigne. Quę omnia nobis sigillatim explicãda sunt, initio à fascibus sũpto qui magistratibus pręferebãtur: dictatori xxiiii. Appian. lib. i. bellor. ciuil. de Sylla, αὐτὸς δὲ οἷα δὴ βασιλεύων, Δικτάτωρ ἐπὶ τοῖς ὑπάτοις ἦν. πελέκεις τε γὰρ ἐφέροντο περὶ αὐτὸν οἷα Δικτάτορος εἴκοσι καὶ τέσσαρες ὅσοι καὶ τῶν πάλαι βασιλέων ἡγοῦντο. consuli quidem duodecim, prętori verò sex. Vnde Ouid. in fragm. ad Piso. Consulatum ab eo gestum demonstrare volens, hac periphrasi vsus est.

Cùm tua bissenos numeraret purpura fasces.

Idem lib. iiii. de Ponto eleg. ix. ad Græcum Cos. designatum,

Missaq; si faciant auroram occurrat ad illa
Bissenos fasces quæ tibi prima dabit.

Qua & Martialis compluries vtitur. veluti lib. vii. Epig.

Postquam bissenis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit.

Et lib. viii. de Consulatu Silij:

Augusto pia thura, victimasq́;
Pro nostro date Silio Camœnæ.
Bissenos iubet in redire fasces.

Et rursus lib. ix.

Bissenos cito, me rogante, fasces
Det Stellæ bonus, annuatq́; Cæsar.

De prætoriis fascibus vnicum Valerij Maximi testimonium sufficiet, qui lib. i. cap. i. ita scribit: qui prætor à patre suo collegii Saliorum magistro iussus, sex lictoribus præcedentibus arma dubia tulit. Totidem autem & Procōsulibus in prouiciam euntibus fasces datos lex, Proconsules. D. de offic. Procōs. tradit. Plut. in Paulo Æmilio, ἐπὶ τοῦτον ὁ Αἰμίλιος ἐξεπέμφθη στρατηγὸς· οὐχ ἕξ ἔχων πελέκεις ὅσους ἔχουσιν οἱ στρατηγοῦντες, ἀλλὰ προσλαβὼν ἑτέρους τοσούτους, ὥστε τῆς ἀρχῆς ὑπατικὴν γενέσθαι τὸ ἀξίωμα. At præsides, qui nullo dū cōsulatu gesto in prouincias à Cæsaribus mittebantur, quinq; dumtaxat fascibus vsos Dion l. liii. his verbis docet. ῥαβδούχοις δὲ δὴ πέντε. πάντες ὁμοίως οἱ στρατηγοὶ χρῶνται, καὶ ὅσοι γε οὐκ ἐκ τῶν ὑπατευκότων εἰσί, καὶ ὀνομάζονται ἐπ' αὐτοῦ οὖ ἀριθμοῦ τούτου. τά τε τῆς ἡγεμονίας κοσμήματα ὅταν ἐς τὴν προτεταγμένην σφίσι χώραν εἰσέλθωσιν, ἑκάτεροι ὁμοίως ἀναλαμβάνουσι· ἐπειδὰν διάρξωσιν, εὐθὺς κατατίθενται. Atq; ita Cappadociæ equitem Romanum cum quinque lictoribus à Tiberio præfectum idem auctor lib. lvii. narrat. Proconsules certè statim atque vrbem egressi essent, insignia sua accepisse, nec prius deposuisse, quàm reuersi portam Romæ ingressi essent, ex nostris Iureconsultis constat. l. i. & l. vlt. D. de off. Procons. Ceterùm fascium origo à Romulo repetenda est, quem sibi xii. lictores instituisse Liuius & Halicarn. consentiunt, qui cùm virgarum fascibus securi coniunctis anteirent: quos vnà cum ceteris regum insignibus populus ad Coss. Tarquinio exacto transtulit, id modò cauens ne duplicarentur. Inuidiæ deinde summouendæ causa, quam terror hic imperii speciésq; regiæ dominationis concitabat, disiunxisse à fascibus secures Publicola fertur, primúsq; nudatos securibus fasces in concione populo submisisse, vt à Plutarcho in eius vita, Halicarnass. lib. v. Quintilian. lib. iii. cap. vii. Valerio lib. iiii. cap. i. & ab auctore libelli de Vir. illustrib. proditum est. Quę

morem posteri quoque sanctè seruarunt, adeò vt in vrbe, solis virgis, quas ex Gallica arbore plerumque sumptas Plinius auctor est, Consulares fasces, aliter atque Dictatorii, constarent: aptarentur verò alligarentúrq; tum demum secures, cùm extra vrbem re ita exigente cum imperio Coss. proficiscebantur. Ex his fascibus virgas ocyus iubente magistratu, lictores expediisse historias legentibus tam notum est, vt exépla congerere putidæ sit diligentiæ. Enimuero non apud vtrumque ex Coss simul fasces erant, sed apud alterum tantùm, idq; alternis: primùm quidem apud maiorem natu ex instituto Publicolæ, vel ex lege Iulia de maritandis ordinibus apud eum qui plures liberos suscepisset, vt est à Gell. relatum lib. ii. cap. xv. Quo autem mense Consul fasces non habebat, antiquo more eum accensus præibat, lictores ponè sequebantur: quem morem renouasse in Consulatu suo Iulium Cæsarem Sueton. in eius vita cap. xx. commemorat. Extremum illud erit, vt omnia, quæ de fascibus sciri interest, absoluam, foribus Consulum eos suspendi solitos, iisq; inde sumptis lictores qui domo egredienti Consuli apparebant, obuiam plebem summouisse, & fores, si quò ingrediédum Consuli esset, pulsasse. Prius illud ex auctore libelli de Viris illust. posterius hoc ex Liuio lib. vi. & Plinio lib. vi. cap. xxx. & Solino cap. vi. plenius aliquando Deo faciente cum aliis, quæ hic consultò omitto, demonstrabo. Ad reliqua insignia magistratuum gradum vertamus.

De sellis & prætextis magistratuum.

CAP. XV.

IN insignibus magistratuum à Prudentio sellæ numerantur: de quibus vt tractemus, ille quoque Vlpiani, qui nos in hunc sermonem adduxit, locus monet, in quo sellæ prætoris fit mentio. d. l. i. §. casum. D. de postulan. Sedebant verò & Coss. & prætores & Ædiles prætextati in sellis curulibus, quemadmodum Liuius initio lib. vii. docet his verbis: Non patientibus tacitum Tribunis pleb. quòd pro Consule vno plebeio des. pa-

» tricios magistratus (prætorem & Ædiles duos intelligit) cu-
» rulibus sellis prætextatos tãquam Coss. sedentes nobilitas sibi sumpsisset. Ac Consularium quidem sellarum Sueton. in Claudio cap. xxiii. meminit: sed & Cic. lib. vii. epist. ad Curium, comitiis quæstoriis institutis sellam Q. Maximi Consulis in campo positam narrat. Sella autem curulis magistratum plerúmq; ex ebore fiebat. Hoc Ouid. lib. v. Fast. indicat,

Illa, ait, *datos fasces commendat eburq; curulle*
Illa coronatis alta triumphat equis.

Idem lib. i.

Iamq; noui præeunt fasces, noua purpura fulget
Et noua, conspicuum pondera sentit ebur.

Idem de Ponto lib. iiii. eleg. v. de Græciano,

Aut reget ille suos dicendo iura Quirites
Conspicuum si quis cum premet altus ebur.

Statius Papin. in Syluis,

--Purpureos habitus iuueniq; curule
Indulgebit ebur. --

In sella verò curuli etiã prætorẽ ius dixisse prẹter d. l. i. §. casũ Varronis verba ex lib. ii. de vita popul. Rom. à Nonio relata docent. Pædius Pætus cum esset prætor, & sedens in sella curuli ius diceret populo Picus Marrius aduolauit, atque in capite eius adsedit. Quintilian. lib. vi. cap. iii. Marcus Cælius prætor cum sellam eius curulem Consul Isauricus fregisset, alteram posuit. Valerius lib. iiii. cap. v. Quamquam quid interfuit vtrùm repulsam an sic adeptam Præturam domum referret? quam cum propinqui ab eo pollui animaduerterẽt id egerunt, ne aut sellam ponere, aut ius dicere auderet. Martial. lib. ix. Epigr.

Sedeas in alto tu licet tribunali
Et è curuli iura gentibus reddis.

Ædiles quoque curules eadem sella insignitos & nomen ipsum, & Gnæi Flauii historia à Liuio lib. ix. & à Gellio lib. vi. cap. ix. relata satis docet. Ex sella vero ius Tribuni pleb. non dicebant vt Plutar. ἐν ἀιτίοις scribit in eo cap. quoq; ait, cur prætexta Tribuni non vtantur. Ex quo arguit magistra-
» tum non esse. Ascon. in diuinat. Subsellia, ait, sunt Tribuno-

rum

rum, Triumuirorum, Quæstorum & huiusmodi minora iudicia exercentium, qui non in sellis curulibus nec tribunalibus, sed in subselliis considebant. Ouid. lib. iiii. de Ponto. Eleg. ix.

Signa quoq; in sella nossem formata curuli
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.

Vnde autem sellæ curulis nomen manauerit, idem Gellius lib. iii. ca. xviij. declarat, ex Basso narrans veterum ætates Senatores, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi: in quo curru sella esset, supra quam considerent: vnde Curulis appellaretur. Quod & Isidor. lib. xx. Etymolog. cap. i. paulò planius atq; pinguius exposuit. Venio nunc ad prætextam, qua prætores olim ornatos fuisse Suet. in Iulio ca. xvi. indicat, cùm de prætura Cæsaris agens sic ait: Ac nihilominus permanere in magistratu ac ius " dicere ausus, vt comperit paratos qui vi ac per arma prohibe- " rent, dimissos lictoribus, abiectâq; prætexta domum clàm " refugit. Fit & de ædilicia prætexta sermo à Plin. lib. ix. cap. xxxix. & à Cic. in Orat. contra Vatin. Triumuiris epulonibus vt & Pontifici lege datum togæ prætextæ habendę ius Liuius lib. xxxiii. scribit.

De senatoriis ornamentis. CAP. XVI.

SPECIOSAS personas accipere debemus clarissimas personas vtriusque sexus: item eorum, qui ornamentis senatoriis vtuntur. l. speciosas. D. de verbor. signific. Duo locus hic vt explicemus, desiderat: vnum quæ olim clarissimæ personæ appellarentur: alterum, quo habitu ac vestitu corporis senatores vterentur, qualia Senatoria ornamenta essent. Quorum vtrumque non ad eius loci modò, sed & aliorum multorum intelligentiam sciri necesse est. Clarissimorum nomine Senatores olim ornabantur, vt ostendit l. curator. D. de cur. fur. in qua ita est: Curator Senatusconsulto constituitur, cùm clara persona veluti Senatoris vel vxoris eius in ea causa sit, vt eius bona venire debeant: feminę enim matrimonio cum Senatore contracto, clarissimarum nomen sortiebantur. l. feminæ.

O

D. de senatorib. l. cùm te. C. de nupt. quomodo clarissimam factam per maritum in l. filij. §. i. D. ad municipal. interpretamur eam quæ senatori nupserit. Sic & Lamprid. in Alex. Solusq; omnium Imperatorum fuit, sub quo mulier quasi clarissima loco viri senatum ingressa sit. Nec verò aliis quàm qui ex senatorio ordine, vel senatoria dignitate donati essent clarissimi titulum primùm collatum puto. Atque ita claram dignitatem in l. non est verisimile. D. quod met. caus. & clarissimos viros accipi oportere censeo in l. deferre. D. de iure fisci. & in l. sed & si susceperit. §. sed & si proponas. D. de iudic. l. cum tabulis. §. i. D. de his, quæ vt indig. l. custodias. D. de public. iud. l. patronorum. D. de legat. lib. iii. Lamprid. in Alex. Præfectis prætorio suis senatoriam addidit dignitatem, vt viri clarissimi & essent & dicerentur. Et erat certè senatoria dignitas ómnium quę tunc temporis erant, clarissima vel ipsius Hadriani testimonio, quem Spartia. scribit senatus fastigium in tantum extulisse, vt cùm Tatianum ex præfecto prætorij ornamentis consularibus præditum faceret senatorem, nihil se amplius aut maius habere, quod in eum conferret, testatus sit. Postea præsidibus omnibus prouinciarum, & magistris census, & principibus agentium in rebus, & aliis multis clarissimorum titulus tributus vilescere sensim cœpit, vt videre est in recentiorum Impp. constitutionibus. Nunc ad senatoria ornamenta transeamus, in quibus latus clauus præcipuè ponitur, quo ab Equestri ordine senatorium distinctum Plin. lib. xxxiii. cap. i. & Lamprid. in Alexand. docent. Hinc illud Vlpian. in Instit. tit. vii. *Hoc amplius principalibus constitutionibus concessum est mulieri in hoc donare viro suo, vt is ab Imperatore lato clauo vel equo publico honoretur.* Quibus verbis vtriusque ordinis discrimen notat. Id enim ipsum ita Gaius effert in l. nuper. D. de donat. inter vir. *Nuper ex indulgentia principis Antonini recepta est alia causa donationis, quam dicimus honoris causa, vt ecce si vxor viro laticlauij petendi gratia donet, vel vt equestris ordinis fiat.* Hinc etiam Augusto sumenti virilem togam, cùm tunica lati claui resuta ex vtraque parte ad pedes decidisset, ominis loco quosdam interpretatos Sueton. tradit, futurum, vt is ordo, cuius id insigne esset, ei

quandoque subiiceretur. Idemq; auctor est Senatorum libe. ris quo celerius Reip. assuescerent protinus à virili toga latum clauum induere & curiæ interesse ab eodem principe permissum. Idem & in Claud. cap. xxiiii. sic ait: Latum clauũ " quamuis ab initio adfirmasset, non lecturum se senatorum " nisi ciuis Roma. esset, libertino tamen tribuit. Habebat verò " clauus senatorius latiorem purpuram, vt ex Plinii capite iam à me citato, & lib. ix. cap. xxxvi. colligimus: de cuius forma & aliquid ex Quintilian. lib. xi. cap. vlt. elici potest. Erat præterea in calceamentis magna inter senatorium & equestrem ordinem differentia. Patricij enim calcei, quos veteres, Mulleos, Festo teste appellabant, vnde & Mulleolos calceos Tertullian. in lib. de Pallio appellauit, lunę impressam effigiem habebant. Vnde Martialis, Iuuenalis, Statius Papinius lunatam pellem, & patriciam lunam dixere. Hinc Cicero xiii. in Anto. orat. de quodam in senatum repente adlecto: Est etiam Asinius quidam senator voluntarius lectus ipse à se. Apertam curiam vidit post Cæsaris mortem. Mutauit calceos: pater conscriptis repentè factus est. Horat. Sat. vi. lib. i.

Nam vt quisq; insanus nigris medium impedit crus-
Pellibus & latus demisit pectore clauum.

Id est, postquam in senatum adlectus est: Vnde colligi potest ad medium crus productos fuisse calceos senatorum. Huius verò lunati calceamenti variæ à Plutarcho in Problemat. causæ adferuntur: probabilior reliquis illa est, quam Isidor. lib. vlt. Etymolog. cap. vlt. & Zonaras tomo ii. sequuntur, vt dicamus à Romulo institutos patriciorum calceos fuisse adsuta lunæ figura, quæ in eis non sideris formam, sed notam centenarij numeri significabat, quia initio centum senatores erant. Atq; hæc insignia gestium quibusdam senatu à se motis Augustum conseruasse Tranquillus refert: quibusdam etiam, priusquam in senatum lecti essent, à Claudio tributa. Dion lib. lviii. auctor est, prçfectísq; prætorio ab Imperatoribus plerumque data, Lampridius cum aliis testatur.

De præmijs delatorum, eorumq; coërcitione.

Cap. XVII.

INTER ceteras quæ ab accusando repellunt causas, quosdam propter turpem quæstum sūmoueri traditur: quales sunt, qui duo iudicia aduersus duos subscripta habent. l. qui accusare. D. de accusatio. Quæret hìc aliquis, in quo ille turpis quæstus versetur: quod facillime expediet, qui didicerit accusatoribus olim ac delatoribus præmia constituta, quorum dulcedine ad accusandum pelliciebantur. Quod & l. ii. D. de iure fis. ostendit, & Quintilian. lib. iii. cap. xi. cum inter delatores nonunquam certari, ait, vter premium meruerit. lib. vlt. cap. vii. cum ad deferendos reos præmio duxi proximum latrocinio esse ait. Tacit. lib. v. Lælius Balbus Acutiam P. Vitellii quondam vxorem maiestatis postulauerat, quę damnata cum præmium accusatori decerneretur, Otho Trib. pleb. intercessit. Idémq; auctor lib. iiii. de præmiis accusatorum abolendis, si maiestatis postulatus ante iudicium perfectum se ipse vita priuasset, » in Senatu actum scribit. Ibatúrq; ait, in eam sententiam nisi » durius contráq; mentem suam palam pro accusatoribus » Cæsar irritas leges Remp. in præcipiti conquestus esset, sub» uerterent potius iura quam custodes eorum amouerent. Et » ita concludit hos delatores genus hominum publico exitum » rep. crescens, per præmia eliciebant. Ascon. in orat. pro Mi» lone. Milo postero die factus reus ambitus apud Manlium » Torquatum absens damnatus est. Illa quoq; lege accusatus » fuit Appius Claudius, & cum ei præmium lege daretur nega» uit. & mox & post paucos quoq; dies Milo apud Fauonium » quęstorem de sodalitiis damnatus est accusante P. Fuluio Ne» rato cui lege pręmiū datū est. Pręmia verò hęc partim legibus » ipsis, ex quibus crimē intēdebatur, definita erant: partim æstimatione arbitrióq; eius, qui de crimine cognouisset, cōstituebātur. Veluti L. Cornelia ad SC. Silanianū pertinēte de præmio accusatorū, qui seruos ante quæstionē de familia habitā fuga elapsos cōquisissent & renūtiassēt, hoc cauebatur, vt in singulos seruos, quos conuicissent, quinque aureos ex bonis occisi, aut si inde redigi ea quantitas non posset, ex publico

acciperent, l. lege Cornelia. D. de Senat. Silan. In eo quoque Senatusconsulto, quod à Frontino lib. ii. de Aquæductib. refertur, præmium accusatori constituitur dimidia pars eius, quo condemnabitur is, qui in Senatusconsultum commiserit. Lege etiam repetundarum quartam bonorum rei, pro præmio accusatoribus concessam Tacit. lib. iiij. indicat. Sed & Papiæ legis delatorum præmia ad quartanas à Nerone redacta Sueton. in eius vita cap. x. auctor est. vnde vulgare præmium interpretandum aliquando suspicatus sum, in l. edicto §. heredes. D. de iure fisc. ad differentiam eius quod edicto Traiani his qui se deferunt, tribuitur, quod vberius est, & dimidiam bonorum continet. At in eo Senatusconsulto quod in eos factum est, qui ἐπιγράμματα, aliúdue quid sine scripto in notam aliquorum produxerint, pro modo substantiæ accusatæ personæ, æstimatione iudicis ei qui indicauerit, pretium constitui iubetur. l. lex Cornelia. in fin. D. de iniur. Secundum hæc accusatoribus Eprio & Cossutiano quinquagies HS. singulis, Ostorio, duodecies decreta apud Tacit. lib. xv. legimus. Hoc verò quæstu cum multi turpiter vitã tolerarent, temporumq; licentia ad calumnias abuterentur, exilio, grauioribusq; aliis pœnis id genus hominũ à Tito, Domitiano, Traiano, adfectum esse, historiarum monumentis proditum est. Tranquillus in Tito cap. viij. Inter aduersa tẽporum, delatores, mandatoresq; erant ex licentia veteri. Hos adsiduè in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac nouissimè traductos per amphitheatri arenam partim subiici in seruos, ac venire imperauit, partim in asperrimas insularum auehi. Xiphilin. in Tito. τούς τε μηνυτὰς ἐξήλασεν ἐκ τῆς πόλεως. Domitianum quoque fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressisse Tranquill. refert, & hanc eius vocem celebratam. Princeps qui delatores non castigat, irritat. Quo nomine ei Martialis his versibus gratulatur lib. j. Epigr.

Turba grauis paci, placidæq; inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,
Tradita Getulis, nec cepit arena nocentes:
Et delator habet, quod dabat exilium.
Exulat Ausonia profugus delator ab vrbe.

Eandem pœnam delatoribus Traianum inflixisse Plinius

in Panegyrico docet, cuius verba ipsa quia elegantia sunt hîc
" posui: Vidimus, ait, delatorum iudicium, quasi grassatorum,
" quasi latronum. Non solitudinem illi nouiter, sed templum,
" sed forum insederant: nulla iam testamenta secura, nullus
" status certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc
" malorũ principum auaritia. Aduertisti oculos atque vt antè
" castris, ita postea pacem foro reddidisti, excidisti intestinum
" malum. & mox: Congesti sunt in nauigia raptim conquisita
" ac tempestatibus dediti: abirent, fugerentq; vastatas delatio-
" nibus terras.

De procuratoribus Cæsaris. CAP. XVIII.

PROCVRATOR Cæsaris inter fiscum dumtaxat & priuatos ius dicebat: in lite priuatorum idoneus competensque iudex non erat. l. j. C. de iurisdict. om. iud. Ideoque à procuratore Cæsaris, qui partibus præsidis non fungatur, inutiliter in causa priuatorum iudicem dari à Papinian. l. ex consensu. §. j. D. de appellatio. responsum est, & à Gordiano rescriptum in l. j. C. de pedan. iudicib. Nam cùm vice præsidis fungebatur, quod vsu venisse interdum præter superiores locos, etiam l. ii. C. de pœn. l. iii. C. vbi causæ fiscal. l. iiii. C. ad leg. Fab. de plagiar. comprobant, cum proculdubio de omnibus causis, quæ in prouincia incidissẽt cognoscebat. Verùm hunc ingressi de procuratoribus Cæsarũ dicendi campũ, reliqua quæ ad eos pertinent, exequamur. Primum autem ponendum est, ex Equestri ordine eos legi consueuisse: quod Tacit. in Agricolæ vita indicat.
" Vtrumque, ait, auum procuratorem Cæsarum habuit, quæ
" Equestris nobilitas est. Lecti deinde fiscalium rationum causa in prouincias mittebantur, vel rerum omnium prouinciæ vel certarum procuratione mandata. l. abesse. & l. qui mittũtur. §. i. D. ex quib. caus. maio. Et initio quidem non aliæ eorum partes erant, quàm vt vectigalia colligerent, & fisci iura tuerentur, ęquoq; cum priuatis iudicio persequerentur. Paulatim iurisdictio his attributa est, vt suum proprium fiscales causæ iudicem haberent. Dion lib. lvii. Καπίτωνα, ait, τὸν τὴν Ἀσίαν ἐπιτροπεύσαντα ἐς τὸ συνέδριον ἐσήγαγε, καὶ ἐγκαλέσας αὐ-

τῷ, ὅτι στρατιώταις ἐχρήσατο, καὶ ἄλλα τινὰ ὡς ἀρχὴν ἔχων ἔπραξεν ἐφυγάδευσεν. οὐ γὰρ ἐξῆν τότε τοῖς τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικοῦσι πλέον οὐδὲν ποιεῖν, ἢ τὰς νενομισμένας προσόδους ἐκλέγειν, καὶ περὶ τῶν διαφορῶν ἔν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ κατὰ τοὺς νόμους ἐξ ἴσου τοῖς ἰδιώταις δικάζεσθαι. Claudium plane Tranquillus refert precario exegisse, vt rata essent, quæ procuratores sui in iudicando statuerent. Accepta ergo à principibus iudicandi potestate, de pecuniariis, que inter fiscum & priuatos mouebantur, controuersiis, procuratores in prouinciis cognoscebant. l. ii.. C. si aduers. fisc. l. cùm hi. §. transactiones. D. de trāsactio. l. si heredum. C. eod. Vnde Vlpian. de officio Procōsulis agēs, *Sane*, inquit, *si fiscalis pecuniaria causa sit, quæ ad procuratorem principis respicit, melius fecerit, si se abstineat.* l. nec quicquam. §. i. D. de offic. Proconf. vbi meritò, si fiscalis pecuniaria causa sit. Nam de criminum quæstionibus procurator Cæsaris non cognoscebat, sed ea cognitio ad proconsulem vel præsidem pertinebat. l. iiii. C. ad legē Fab. de plag. l. ii. C. de pœn. Finita certè pœnæ quæstione, vel crimine morte extincto, apud procuratorem reliqua de bonis disceptatio peragebatur. l. i. & l. ii. C. vbi causæ fiscal. De his quæ fisco commissa dicebantur cognoscebat l. iii. C. si seruus export. Apud eum quoque causa inultæ necis defuncti agebatur quod ex ea causa bona fisco vindicarentur l. iii. C. de his quæ vt indig. Item si heredum aduersus quos de inofficioso quis acturus erat bona vt vacantia fiscus teneret, inofficiosi quæstio apud procuratorem perferenda erat. l. si heredum. C. de inoff. test. deportandi vero, vel relegandi, vel alterius pœnæ inferendæ, aut etiam multæ dicendæ ius non habebat. l. vlt. D. de offic. procur. Cæsar. l. ii. C. de pœn. l. curatores. C. de modo mult. Sed nec de causis status cognoscebat. l. ii. C. vbi de causa stat. de his scilicet, in quibus de ingenuitate quærebatur. l. si pater. C. ne de statu def. Nam libertinitatis & seruitutis causę apud eum agebantur. l. iam dudum. C. vbi causa stat. Locare planè atque addicere fisci prędia. l. iii. §. diui. l. vlti. D. de iure fisc. l. iiii. C. vbi causę fisc. Strabo lib. xvii. de Ægypto loquens, ἄλλος δ' ἐστὶν ὁ προσαγορευόμενος ἴδιος λόγος καὶ τῶν ἀδεσπότων καὶ τῶν εἰς Καίσαρα πίπτειν μελλόντων ἐξεταστὴς οὗτος. Debita fiscalia exigere, l.

Moſchis.§.i.D.de iure fiſ.l.vlt. D.de interrogat.in iu.fac. Iubere item ſeruos fiſci (quod in eo præcipuum eſt) delatas hereditates adire procurator poterat.l.j.D. offic. procur. Cæſ. l. aufertur.§. penult. de iure fiſc. l. ſi quis mihi. §.j. D. de adquir.hered. Non tamen ſine auctoritate principis & inconſulto eo tranſigere.d.l. i.& l. nulli. D. de tranſaction. Ceterùm aduerſus procuratorum ſuorum ſententiam ſolus princeps in integrum reſtituere poterat. l.i. C. vbi & apud quem in integ. reſt. Galenus lib.j. de Antidot. Κύπρῳ γοῦν ἱστορῆσαι βουληθεὶς ἐγὼ διὰ ταῦτα φίλοντε ἔχων τὸν ἐν αὐτῇ πολὺ δυνάμενον ἑταῖρον ὄντα τοῦ προεστῶτος τῶν μετάλλων ἐπιτρόπου Καίσαρος procurator Cæſaris metallis Cypri præpoſitus.

De præfecto ærarij. CAP. XIX.

QVOD in prouinciis procuratoris Cæſaris, hoc in vrbe, quãtum coniicio, præfecti ærarii munus erat. De cuius conſtituendi origine, varieq; mutata ærarii adminiſtratione breuiter cõmemorandum eſt. Ærarii, quod in Saturni æde à Valerio Publicola cõſtitutũ, Plutarchus, Macrobius, aliiq; referũt, cura Quæſtoribus ſtante Repub.mãdabatur: quorum officio pecuniæ publicæ, quæ per eos ex vectigalibus, populiq; Rom. agris, prædis item ac manubiis redigebatur, in diuerſos vſus erogãdæ onus incubuiſſe notius eſt, quàm vt exẽpla teſtimoniaq; proferẽda ſint. Poſteaquã verò imperiũ ſuum omne in principẽ populus trãſtulit, variè habita ac ſæpe immutata eius rei forma fuit. Nam Auguſtus ſenatui primũ eligere præfectos permiſit: dein ambitu ſuffragiorum ſuſpecto, ſorte ducti ſunt ex numero Prætorum, qui præeſſent, quemadmodum Tacit. lib.xiii. ſcribit, & Sueton. in Aug. cap. xxxvi. ita perſtringit. Auctor & aliarũ rerũ fuit, vt cura ærarii à Quæſtoribus vrbanis ad Prætores, Prætorióſue tranſiret. Eaq; de cauſa veriſimile eſt ab eo prætorum numerum auctum: quod idem eodem loco Tranquillus & noſter Pompo. in l. ii.D. de orig. iur. ſcribit. Itaq; in eo Senatuſcõſulto, quod de Curatoribus aquarum, Q. Ælio Tuberone & P. Fabio Maximo Coss. factum eſt, ita ſcriptum erat, vt apud Frontinum lib.ii. de Aquæductib.

quæductib. legimus. Quiq; ita delati essent, eis Prætores ærarij mercede cibaria, quanta præfecti frumento danda dare ferreq; solēt, annua darēt & attribuerēt. Et pauló post. Q. Ælius, Q. Fabius Coss. ambo, alterue si videbitur, adhibitis Prætoribus, qui ærario pręsint, prębenda locent. Tacit. lib. j. Resistentibus ærarii pretoribus subuenit Cęsar, pretiumq; ædium Aurelio tribuit. In monumento quoq; apud Dalmatas effosso prætoris ærarii fit mētio. Per hos verò ærarium ad Claudii vsque tempus administratum est. Is, quia sors ad parum idoneos deerrabat, Quæstores rursū imposuit: iisq; (ponam enim ipsa Taciti ex libro xiiii. verba) ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores permisit. Qua de re sic Tranquil. in Claudio cap. xxiiii. Collegio Quęstorum curam ærarii Saturni reddidit, quam medio tempore prætores, aut qui tunc Prætura functi, sustinuerant. Hæc ille. Sed deerat, ait Tacitus, robur ætatis eum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero pręfectura perfunctos, experientia probatos delegit, & tabularum pecuniarumq; publicarum curam à Quæstoribus ad pręfectos transtulit. Præfecti verò hi ærarij appellati sunt, quos ex prætoriis creatos existimo. A pretoribus certè Vespasiano imperante ęrarium tractatum fuisse idem Tacit. lib. xx. scribit. Pomponius etiā à Diuo Nerua prætorem vnum adiectum refert, qui inter fiscum & priuatos ius diceret. Quem præfectum ærarii appellatum verosimile est: cuius idem quod Quæstoris in libera Repub. munus fuisse Gell. lib. xiii. cap. xxii. locuples testis est. Manubiæ sunt, ait, nō præda, sed pecunia per Quæstores popul. Rom. ex præda vendita cōtracta. Quod per Quæstores autem dixi, intelligi nunc oportet præfectum ærario significari. Nam cura ærarii à Quæstoribus ad præfectum trāslata est. Quamobrē vacantia & caduca bona, aut quæ ex alia causa in ærariū colligebātur, præfecti ærarii cogebant. l. edicto, D. de iure fisc. l. 4. §. plane D. de fideilibert. Plin. lib. x. Epist. Vt primum me domine, indulgentia vestra promouit ad præfecturam ærarii Saturni, omnibus aduocationibus renunciaui. Fiscales quoque causę apud eos agebantur: quod significari ab Vlpian. palam est in l. ii. §. hoc interdictum. D. ne quid in loco pub. cùm ait, *Res enim fiscales quasi propriæ &*

priuatæ principis sunt. Igitur si quis in his aliquid faciat, nequaquam hoc interdictum locum habebit: sed si fortè de his sit controuersia, præfecti eorum iudices sunt. Vbi nescio an non pro, eorum, ærarii ab Vlpiano scriptum fuerit. Cognouisse planè præfectos & pronuntiasse l. cùm quidam. D. de his quæ vt indign. & l. senatus. ∫. quòd si tribus. & l. Arrius Seuerus. D. de iure fisc. docent: Ex eorumq; auctoritate & arbitratu de alimentis fisco ex vltima voluntate debitis transigebatur. l. cùm hi. ∫. transactiones. D. de transactionib. Apud hos etiam natales professiones ex constitutione D. Marci fiebant, vt Capitolinus scribit. Fuit verò & alius ærarii militaris, quod sibi in bellorum subsidia Augustum instituisse Sueton. auctor est, præfectus: qui in inscriptione Mediolanensi, quæ Plinii Elogium continet, à præfecto ærarii Saturni separatur.

De procuratore rei priuatæ. CAP. XX.

PRÆTER fisci procuratorem, alium etiam rerum priuatarum, propriiq; sui patrimonii procuratorẽ principes habuere. Hoc nos Vlpian. docet in l. cùm seruus. ∫. vltimo. De legat. lib. i. his verbis, *Sed & prædia Cæsaris, quæ in formam patrimonii redacta sub procuratore patrimonij habentur, si legentur, nec æstimatio eorum debet præstari.* Meminit huius procuratoris & Capitolinus in Macrino. " Mortem, ait, Antonini senatus gratanter accepit, & Opi-" lium Macrinum libertatem publicam curaturum sperans, " primum in patricios adlegit, nouum hominem, & qui " paulo ante procurator priuatæ rei fuisset. Et initio eius libelli. Occiso ergo Antonino Bassiano Opilius Macrinus præfect. prætorio eius, qui antea priuatas curabat, imperium arripuit. Institutum verò primum à Seuero hunc procuratorem post Clodium Albinum victum Spartian. auctor est. Antea verò rei familiari principis liberti plerumq;, nonnumquam Equites sine aliqua administrationis, & muneris forma duo pluresue præficiebantur. Plin. lib. vi. Epist. „ ad Cornelia. Eurithmus, ait, Cæsaris libertus & procurator. „ Et lib. x. ad Traian. Maximus libertus & procurator tuus.

Tacit. lib. xiii. Ministri fuere P. Celerius Eques Rom. & Ælius libertus rei familiaris principis in Asia præpositi: Hunc procuratorem credo rei dominicæ appellari in l. penult. de conueniend. fisci debit. lib. x. Cod. Idem, aut certè quod ad procurationem rerum priuatarum attinet, simile sub posterioribus Imperatoribus Comitis rerum priuatarum munus: de quo in l. vlti. C. de adsessorib. l. vlt. de petit. bonor. subl. lib. x. C. l. iii. C. de bon. vacantib. l. neminem. de decurionib. lib. x. C. l. i. C. de aduoc. diuers. iudicum.

De fisci patrono. CAP. XXI.

FVit & fisco suus ac proprius patronus, isque ab Hadriano primùm si Spartiano credimus, institutus. Aderat hic fiscalibus causis, l. vlt. D. de iure fis. l. vlt. C. de aduoc. fis. liberalibusque maximè quæ non interueniente eo decisæ in integrum ex eiusdem Marci rescripto restituebantur, l. iij. §. diuus Hadrianus. & l. si fiscus. D. de iure fisc. Et quoniam rara de hoc aduocato in Pandectis litterarum monumēta extant, ad posteriorum Imperatorum tempora orationem conuertam, ex eorumq; constitutionibus, quę fuerit huius aduocationis ratio, petam. Inuenio autem ex aduocatione cuiusque sedis, quæ certo numero definita erat, fisci patronos creatos, vel singulos vel binos, eosq; vel annuo, vel bienni munere functos pro varia cuiusque fori consuetudine. Et aduocationem quidem prefecturæ prætorianæ orientis Theodosius centum quinquaginta togatorum numero conclusit. l. cum aduocatio l. nemini, C. de aduoc. diuers. iudicior. Quem numerum & in Illyriciana præfectura, cui eadem quæ Orientali priuilegia tribuunt, obseruari Imperatoribus placuit. l. iisdem. l. vlt. C. de aduoc. diuers. iudicior. l. ii. C. de aduoc. diuers.. iudicū. Ex ea classe in vtraque præfectura vnicus primum fisci patronus creabatur, quoad Valentinia. & Marcia. constitutione ad Palladiū Pr. Præt. Oriēt. emissa, in Orientis præfectura binos ex primoribus aduocatis singulis annis ad patronatum fisci adsumi constituere. l. binos. C. de adu. diu. iudicior. At in Illyrici præfectura, qui vnicus eligebatur, fisci patronus biē-

nio demum officii finem sortiebatur. l. sancimus.ij.C.eod. Vtrobiq; verò,qui patronatu fisci perfuncti erant, cohortalis vel alterius vilioris condicionis nexibus cum liberis posterisq; suis liberabantur,& Comitiua consistoriana aliisq; honoribus ornabantur.d.l. cum aduocario.& l. iisdem.& l.nemini. C.de adu.diu. iudicior. l. laudabile. & l. restituendæ. C. de adu.diu.iudicum. Auctor Panegyrici Constantino dicti, Tibiq; quod superest, commendo liberos meos : præcipueq; illum iam summi patrocinia tractantem in quem me totum transtulit pietas. Vtrobique etiam sexaginta quattuor primores aduocati ex centumquinquaginta statutis, patronorum fisci beneficiis priuilegiisq; honorabantur. l. post duos. C. eo. titul. Reliquarum sedium varia condicio erat. In Alexandrino foro quinquaginta dumtaxat statuti erant aduocati,ex quibus patronus fisci vnicus creabatur,qui biennium eo munere functus,ex consulari rectoris prouinciæ dignitate decorabatur. l.petitionem. C. eodem titulo. In foro præsidali Syriæ triginta aduocatorum numerus præscriptus erat, ex eoq; fisci patronus vnoquoque biennio eligebatur. l. petitionem C. de aduo. diu iudicum. In foro comitis Orientis quadraginta aduocati erant, vnus fisci patronus, qui biennio fisco patrocinium præstabat. l. iii. C. de aduoc. diu. iudicum.

FINIS.

V. C. ÆGIDIO BOVRDINO.
Regio in Senatu Parisiensi procuratori,
B. Brissonius. s. D.

ABSOLVTO *tertio harum Antiquitatum libro, gradum sistentem me subito tuorum beneficiorum memoria pupugit, quartique inchoandi, cupiditatem iniecit, vt te litterario eo munere, quo solo possum, remunerarer. Amplissimum verò protinus mihi ad scribendum æstu quodam animi delato, argumentum libri nostri suppeditauere: in quibus cùm multa nostra ætas obseruet cottidie, plura etiam fortasse posteritas adnotatura est. Ex his plane quæ tum occurerunt, digniora seligens libellum istum concinnaui. Eum nunc ad te cum omni nostra opera defero.* Bene vale. *Lutetiæ Parisiorum Kal. Octobrib.*
M. D. LVII.

B. BRISSONII SELECTARVM EX IVRE CIVILI ANTIQVITATVM

LIBER IIII.

Qualiter accipienda sit possessionis definitio à Iauoleno tradita in l. quæstio. D. de verb. sign.

CAP. I.

OBSCVRVM est, quid hæc Iauoleni verba significent: *Possessio ab agro iuris proprietate distat. Quidquid enim adprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, nec pertinere potest, hoc possessionem appellamus.* Atq; exercuit hic locus clarissimos nostræ ætatis Iureconsultos, quorum alij à xii. Tabul. rem inani coniectura repetētes, alij ad loca sacra, quæ extra commercium posita hac definitione concludi nō possunt, referētes, longe à Iauoleni mente aberrant. Mihi valdè semper Gerardi Pererij Tholosani professoris sentētia placuit, qui cùm in eo errare atque labi ceteros animaduertisset, quòd quæ de re ipsa & corpore à Iauoleno dicuntur, ea ad detentionem rei transferunt, primus, quod sciam, animūm aduortit ad cogitandum, num aliqua antiquitus prædia fuerint, in quæ definitio illa caderet. Etenim Iauoleno trium harum appellationum, Ager, Possessio, Fundus, differentiam exequenti propositum fuit docere corpus id, cuius plenum vsum habemus, proprietatem non habemus, nec habere possumus, possessionem appellari. Quo in genere prouincialia, tributaria, stipendiariáq;, item vectigalia prędia pono. Cuius rei demonstran-

dæ initium paulò altius repetam necesse est. Lege belli capientium fiunt, quæ ab hostibus capiuntur. Proinde bello subactarum prouinciarum agri publici populi Rom. fiebant. l. si captiuus. ¶. i. D. de capti. Liuius lib. iii. ad fi. Agrum de quo ambigitur, finium Coriolanorum fuisse, captisq; Coriolis publicum populi Roma. factum. Cicer. v. orat. in Verr. Perpaucæ Siciliæ ciuitates bello à maioribus nostris subactæ sunt, quarum cùm esset ager publicus populi Rom. factus, tamen illis est redditus. Sed enim ex hoste captos agros, Romani, vt eodem loco Cicero, & Siculus Flaccus in lib. de Condicion. agror. & Hygen. in lib. de Limiti. demonstrant, alios in victorem populum partiebantur, alios per quæstores, laterculis limitibusq; actis diuisos vendebāt, alios militibus in pręmium adsignabant, alios per censores locabant, aliis certum vectigal imponebāt, quod stipendiarium dicebatur. Huiusmodi, quæ tributum quotannis populo pendebant, prædia, tributaria stipendiariaq; dicebantur: quorum dominium ad populum Roman. plenissimum vero fruendi ius ad prouinciales ipsos possessores pertinuisse Theophilus bene sentit in ¶. per traditionem. Instit. de rer. diuision. Erant & vectigales agri ciuitatum ac municipiorum, quos vel ad tempus, vel in perpetuum municipes locabant, domino apud se manente, solum fruendi ius in conductorem transferentes, vt ex l. si finita ¶. si de vectigalibus. D. de dam. inf. & l. si domus. §. vlt. de leg. lib. i. & l. i. D. si ager vectigal. perspicuè liquet. Quo posito, vel me tacente, ad ea prædia possessionis appellationem pertinere, eoq; Iauolenum ręspexisse satis intelligitur. Ea enim eorum prædiorum condicio erat, vt eorum prouinciales neq; essent, neque esse possent ex iure Quiritum domini: sed ea in bonis tantum haberent, τὴν ἐπ' αὐτοῖς κτήμασιν, vt Theophili verbis vtar, χρῆσιν καὶ ἐπικαρπίαν καὶ πληρεστάτην κατοχὴν ἔχοντες, ὥστε δύνασθαι μεταφέρεσθαι καὶ κληρονόμοις παραπέμπειν. Proprietas quidem idcirco ad prouinciales non pertinebat, quòd ea in suum dominium populus victor redegisset: pertinere verò idcirco non poterat, quia nec mancipatione abalienari ea, nec vsucapi, cùm iuris Italici non essent, poterant: quibus modis legitimum & ex iure Quiritum dominium contingebat. Quod Iustinian. in l. vn. C. de vsucap. transf. & in Inst. tit.

de vsucapio. in prin. & in §. per traditionem. de rer. diuis. strictim attigit. Ex quo sequitur conuenienter Iauoleni definitioni ea prædia possessiones appellari posse. Cui interpretationi mirificè consentit eiusdem verbi à Festo lib. xiiii. & Isidoro lib. xv. Etymolog. cap. xiii. tradita definitio, quę ita habet: Possessiones appellantur agri latè patentes publici priuatiq;, qui non mancipatione, sed vsu tenebantur: id est, vt ego interpretor, quorum ex iure Quiritum domini non sunt qui possident, sed vsum detentionemq; habent.

Extraordinariæ executiones olim quænam appellarentur.

Cap. II.

ORDINARIAE, extraordinariæq; cognitiones vti accipiendæ sint, satis iam ex eorum qui de iure ciuili recta sentiunt, Commentariis innotescit. Extraordinariæ executiones quam significationem habeant, adhuc in obscuro positum, nec cuiusquam interpretatione patefactum puto. Duobus verò modis suas iudicúmue à se datorum sententias magistratus exequebantur. Interdum enim iudicem arbitrúmue in eam rem dabant. l. à diuo. ¶. si post. & §. sed si emptor. & §. sic quoque iudices. D. de re iudic. l. si prętor. D. de iudic. Idq; rectè atque ordine fiebat. Nonnumquam verò viatorem, apparitoremq; vice arbitri adiudicati, vel decreti sui vel pręcepti executionem dabant. l. vlt. D. de iudic. l. qui heres. D. fam. ercisc. l. si vt proponis. C. de exec. rei iudicatæ. l. executorem Et. ex quo illud in l. si plus D. de euiction. si iussu iudicis rei iudicatæ pignus captum per officium distrahatur. Iubet autē capi pręses ipse. l. vlt. C. si pig. in causa iudic. & in l. i. & l. ii. eo. tit & l. si ob causam C. de euiction. ex quibus etiam coniuncta l. qui heres D. fam. ercisc. apparet pignora distrahi solita per officium. Eaq; extra ordinem fieri executio dicebatur, quemadmodū demonstrat l. si pignora. D. de euict. his verbis *Si pignora veneant per apparitores Prætoris extra ordinem sententiam exequentes.* l. vlt. §. si quis. D. quod met. caus. in qua extra ordinem exactum dicitur, quod apparitore pręsidis interueniente

teruenientc cognitione iudicis nulla habita exactum fuerat, quod ciuiliter per iudicem peti debebat. Sic & in l. iii. D. ne vis fiat ei, qui in poss. extra ordinem exequi decretum suum Prætores dicuntur, quod ipsimet iure suæ potestatis, ministrorum manu exequuntur. Nam ordinario iure interdicto res expeditur: vt euenit & in specie l.j.§.nec solum. D.si vent. nom.mul.in poss. Quemadmodum igitur ordinaria cognitio tum appellabatur, cùm ex formula apud iudices datos causa agebatur, extraordinaria verò cùm ipsi magistratus notionem adhibebant suam: ita & quod iudicibus datis, actionibus interdictisq; redditis exequebatur, ordine exequi: quod verò viribus imperij sui, per apparitores, & si res posceret, manu militari exequebantur, extra ordinem exequi dicebantur. Illa etiam prætoria erant iurisdictionis tuendæ remedia, pignoriscapio, mulctæ dictio, corporis retentio ac coërcitio. l.j. §.ex hoc rescripto. in fi. D. de vent. insp. §. quibus. Instit. de satisd. tut. l. iiij. §.j. D. de damno infect. l. cum eo. in fi. D. ad legem Iul. pecul.

Quæ sint sollemnia munera in l. cùm plures. §. cùm tutor. D. de admin. tut.

CAP. III.

TVTOR in re pupilli administranda, boni & attenti patrisfam. officio fungi, ac proinde minimè necessarijs sumptibus abstinere debet. Minerual tamen & διδακτρα præceptoribus pro facultate patrimonij & dignitate natalium constituere, sed & sollemnia munera parentibus cognatisq; mittere eum posse lex admittit. l. cùm plures. §. cû tutor. D. de admin. tut. in qua meritò dubitatur, quænam ea sint sollemnia munera. Vtique enim nuptialia, quod prima fronte quis diceret, intelligenda non sunt: quę de pupilli bonis mittere tutor prohibetur, cùm perquàm necessaria nō sit ista muneratio. l. tutor secundum. §. vlt. D. de adm. tut. l. j. §. pręterea. D. de tutel. & rat. dist. Magis est autem, vt sollemnia secundum Varronis, Festi, & Seruij interpretationem anniuersaria accipiamus, eáq; munera

ſignificari dicamus, quę quotannis more recepto ſibi inuicem cognati natali cuiuſq; die miſſitabant. Suadet hoc Martialis verſus lib.ix.Epig. qui ita habet.

Chara claret ſollemne tibi cognatio munus.

Et aliàs:

Luce propinquorum quæ plurima mittitur ales,
Dum Stellæ turdos, dum tibi Flacce paro.

» Tertullian. in lib. de Idololatria. Etiam ſtrenæ captandæ,
» & ſeptimontium, & bruma, & charæ cognationis honoraria
» exigenda omnia. Atque hoc nomine à Martiale Clytus quidam notatur, qui ſæpius vno in anno natalem ſuum, munera à cognatis, amiciſq; captans, celebrabat. Iam Saturnalium feriis muneribus ſeſe Roman. inuitaſſe ex Macr. lib.j. cap.vij. & Martiale lib.iiij.vij.& x.Epig.aliiſq; ita in promptu eſt, vt in eo probando longior ſumi oratio non debeat.

Illicitarum olim mercium exempla.

Cap. IIII.

ILLICITAS aliquas merces olim fuiſſe non noſtri tantùm conſulti & Impp. in l.cotem. §. illicitarum. D. de public. & l.j.D. de his quæ vt indig. & l.illicitas. §. illicita. D. de off. præſid. l. pen. C. de naut. fœ. probant, ſed & Tertullianus in lib. v. aduerſus Mar-
» cionem his verbis: Quamobrem Pontice nauclere ſi num-
» quam furtiuas merces vel illicitas in acatos tuas recepiſti. Procop. lib.j. de bello Pers. οὔτε σίδηρον, οὔτε ἄλλο τι τῶν ἐς ταῦθα ἐπιτηδείων Ἰνδοὶ καὶ Αἰθίοπες ἔχουσιν. οὐ μὴν οὐδὲ πρὸς ῥωμαίων ὠνεῖσθαι τούτων τι οἷοί τε εἰσὶ, νόμῳ ἅπασι διαῤῥήδην ἀπειρημένῳ· θάνατος γὰρ τῷ ἁλόντι ἡ ζημία ἐστί. Eiuſmodi verò mercium exempla ex poſteriorum Imperatorum cõſtitutionibus in medio poſita ſunt. Nec enim ignotæ ſunt Valentinia. & Theod. cõſtitutiones, quibus purpuræ diſtrahendæ, & ſerici à Barbaris cõparãdi, priuatis poteſtatem auferunt. l j.& ij. C. quæ res vẽdi nõ poſſ. l.j. de veſtib. holoſer. lib. xi. C. Æquè patet, vinum, oleũ, loricas, ſcuta, arcus, ſagittas, gladios, ſpathas, vel alterius cuiuſcumque generis arma ad Barbaros trãſferre non licere,

l.j.& ij.C.quæ res export.non poss. Salis quoque commercium præter salinarum conductores alijs omnibus lege prohibetur.l.si quis sine.C.de vectig. & commiss. Armorum denique mercimoniũ priuatis à Iustiniano interdicitur in Nouell. de armis. Verùm hæc exempla ex eorum qui longo pòst Iureconsultos interuallo secuti sunt, principum constitutionibus sũpta, antiquioribus Iureconsultorum scriptis accommodari posse non videbuntur, nisi earumdem ferè rerum omnium quas recensui, iam olim commercium cũ Barbaris interdictum fuisse docuero. Constat certè ex ipsamet l.cotem.D.de publican.non licuisse ferrum, frumentum, sales, cotem item subigendo ferro necessariam, hostibus venũdari. Sed nec equum militarem extra prouinciam duci cõcessum fuisse declarat.l. officium. §. j. D. de re milit. Vnde Liuius iib.xliiij. Regulis Gallorum missis ad Rom. quæstum de iniurijs quibusdam datum refert vt denorum equitum his commercium esset educẽdiq; ex Italia potestas fieret. Cotes verò Creticas dumtaxat primùm notas oleo ferri aciem excitantes: postea verò etiam aquarias cotes Italiam dedisse limæ vice ferro imperantes Plinius lib. xviij. cap. xxviij. & lib. xxxvj. cap. xxij. scribit. Hinc Cretę Cotoriæ in l.Cæsar.D.de publica. Atque ex his eadem opera illustrabitur l. vnic. de litorib.& itiner.cust.lib.xii.C.in qua merces illicitas ad Barbaros transferri Impp. vetant.

De agrorum formis, & earum æneis tabulis. CAP. V.

QVI *tabulam æneam legis, formámue agrorum continentem refixerit, vel quid inde immutauerit, lege Iulia peculatus tenetur.* Verba hæc sunt Vlpiani in l.qui tabulam.D.ad legẽ Iul.pecul. Quæ vt intelligantur, admonendi sumus agrorũ adsignatorũ, limitatorumq;, id est, qui limitibus institutis per centurias diuisi erant, formas modum cuiusq; centuriæ ac limitum complectentes, æneis tabulis ad ęternitatẽ fixis tollendæ in posterum omnis controuersiæ causa inscribi consueuisse. Hoc Sicul. Flacc. lib. j. de Condic. agror. docet. Nominibus, ait, agro- "
rum diuisorum, qui institutis limitibus diuisi sunt, & formę "
varias appellationes accipiunt. Quidam arbores finales, alij "

in venis, alij in membris scripserunt: Et quamuis vna res sit
" forma, alii dicunt perticam, alii centuriationem, alij metatio-
" nem, alij limitationem, alij cancellationem, alij typon, quod
" vt suprà diximus, vna res est forma. Quidam formas, quarum
" mentio habita est, in ære sculpserunt, id est, in æreis tabulis
" scripserunt. Et alio loco: Horũ etiam agrorum qui ex vicinis
" populis sumpti sunt, proprias factas esse formas, id est, suis
" quamque limitibus regionem diuisam. Nam in his æneis ta-
" bulis totam diuisionis & adsignationis rationem perscribe-
" bant: verbi gratia, Datum adsignatum illi tantum. Redditũ,
" commutatum pro suo, Redditum veteri possessori: quorum
" notæ quædam apud Valer. Probum conspiciũtur. Hoc idem
" Siculus ostendit, his verbis: Comperimus verò in aliquibus
" regionibus & pascua & siluas adsignatas esse, adscriptumq;
" in formis ita. Illi & illi tot siluas & pascua, iugera tot. Hygen.
" lib. i. de Limitib. Omnes significationes, ait, & formas ęreis ta-
" bulis inscribemus. Data, adsignata, concessa, excepta, reddita,
" commutata pro suo veteri possessori, & quæcumque alia in-
" scriptio singulãrũ litterarum fuerit. Idem lib. ij. Nuper enim
" quidam euocatus Augusti cùm in Pannonia agros veteres ex
" voluntate & liberalitate Imp. Traiani adsignaret in ære, id est
" in formis, non tantùm modum quem adsignabat adscripsit,
" aut notauit, sed & extremam lineam vniuscuiusq; modi com-
" prehendit. Idem alio loco: Nam & alia præfectura aliter con-
" cessi sunt limites, vt habeant in æreis inscriptionibus inter li-
" mitem nouum & veterem iugera fortè lxx. Aggen. Vrbicus.
" Frontini interpres. Ex modo, ait, illo, qui ære scriptura conti-
" netur, forma liquebit, etiam si dominus aliquid vendidisset.
Sic accipiendum erit quod iidem auctores in controuersiis æs respici scribunt. Ex his enim tabulis controuersiæ de agrorum modo finibusq; decidebãtur. Ceterùm diuisorum dumtaxat, atque adsignatorum agrorum formę in tabulas referebantur: in occupatoriis agris, id est, quos pulsis veteribus possessoribus victor populus occuparat, nullum ęs, nullam formam fuisse, quæ publicæ fidei possessoribus testimonium redderet, idem Siculus tradit.

De legibus agrorum. CAP. VI.

PRIVSQVAM ab agrorum sermone, in quo superioris capitis oratio versata est, discedam, etiam illud adnotabo, leges quasdam agris dici solitas: quod & ad intelligentiam l. j. §. vlt. D. de aqua & aq. pluu. pertinet. Dicebantur vero hæ leges priuatis quidem agris à patribusfa. qui eos constituebant: adsignatis autem vel colonicis, ab his qui veteranos coloniasque ex lege deducebant. Hygen. lib. ii. de limitib. cùm de adsignatis agris agit. Hi agri, ait, le- " ges accipiunt ab his, qui veteranos deducunt: & ita propriam " obseruationem eorum lex data præstat in his terris. Siculus " Flacc. in lib. de Condicio. agr. Auctores, ait, adsignationis, " diuisionisque leges quasdam colonis describunt, vt qui agri " delubris sepulchrísue publicis, qui solis itineris, viæ, act⁹, am- " bitus ductusque aquarum, publicis vtilitatibus seruierint, ad " id vsq; tempus, quo agri diuisiones fierent, in eadem condicione essent qua antè fuerant. Sic & Frontinus omnes limites secundum legem colonicam itineri publico seruire debere scripsit. Atque ita legem interpretari in d. l. qui tabulam. D. ad legem Iul. pecul. nihil prohibet.

De legibus Iuliis iudiciorum. CAP. VII.

DVÆ feruntur iudiciariæ Iuliæ leges. Priuatorũ iudiciorum vna: altera publicorum. Illa totam, priuatorum iudiciorum formam, rationem, ac regulam complectebatur, vel ipso Gellio teste, cuius ipsamet verba ex lib. xiiii. cap. ii. posui. Atque in dierũ " quidem diffissionibus (sic enim bene Politian. legendum cõ- " iicit) comperendinationibus, & aliis quibusdam legitimis in " rebus ex ipsa lege Iulia & ex Sabini Massurii, & ex quorumdam aliorum Iurisperitorum Commentariis commoniti & adminiculati sumus. Eius legis ex his quæ extant Antiquitatis reliquiis, tria capita notasse mihi videor: vnum, quo cauebatur, ne minor xx. annis iudicare cogeretur: quod in l. cum lege. D. de recept. qui arbitr positum est. Alterum, quo vetabatur iudex eius rei de qua iudex erat, arbitrium recipe-

re, inve se compromitti iubere: quod æquè relatum est in l. sed si in seruum. §. si quis iudex. D. de recept. qui arbitr. Tertii, quod de iis qui se iurisdictioni alicuius subiiciunt, scriptũ erat, verba quædam Vlpian. exponit in l. ii. D. de iudic. Ad eundem modum lege Iulia publicorum forma, meo quidem iudicio, publicorum iudiciorum exercendorum præscribebatur. Proferam argumenti causa, quæ in iure ciuili ex hac ipsa lege descendentia continentur. Id autem ea lege cautum fuisse traditur, ne eodem tempore de duobus reis quis quæreretur, nisi suarum iniuriarum causa. l. hos accusare. §. lege. D. de accusatio. Eadem lege continebatur, vti locum, in quo delictum admissum esset, & personam cum qua admissum diceretur, & mensem designarent qui reos deferebãt: l. libellorum. D. de accusatio. Hac etiam lege contra adgnatos & adfines testimonium dicere inuitum neminem cogi Paulus ait in l. Iurisconsultus. D. de gradib. & adf. Cuius capitis plenius idem in l. iiij. D. de testib. sententiam exponit. Lege, inquit, *Iulia iudiciorum publicorum cauetur, ne inuito denuntietur, vt testimonium litis dicat aduersus socerum, generum, vitricum, priuignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natum, eósue qui priore gradu sint. Item ne liberto ipsius, liberorum eius, parentium, viri, vxoris. item patroni, patronæ, & vt ne patroni, patronæ aduersus libertos, neque liberti aduersus patronum cogantur testimonium dicere.* Quò referenda est l. ii. D. de accusatio. cuius in Pand. Flor. verba transposita facilè à quouis restituentur. Ad hæc lege Iulia publicorum comprehensum accepimus, vt ne reus qui accusatori publico iudicio ideo præscribat, quòd dicat se eodem crimine ab alio accusatum & absolutũ fuisse, prius accusetur, quàm de prioris accusatoris præuaricatione constiterit, & pronuntiatum fuerit. l. iii. D. de præuaricatorib. Planè cùm in priore accusatione præuaricatio accusatori obiiciebatur legem voluisse, vt reus antè perageretur, tunc de præuaricatione quæreretur, Plinius lib. iii. Epistol. ad Minutia. auctor est. Videlicet quia optimè ex accusatione ipsa accusatoris fides æstimaretur. Erat & illud in ea lege, vt si seruus capitali crimine postularetur, sisti eum vel ab extraneo satisdatò promitteretur. Quòd si non defenderetur, in vincula publica coniiceretur, vt ex vinculis

cauſam diceret.l. ii. D. de cuſtod. reo. Reum quoque vel accuſatorem qui domum iudicis ingrediatur, per legem Iuliam iudiciariam in legem ambitus committere, & centum aureis multari Modeſtin. adnotat in l. j. in fi. D. ad legem Iul. de amb. Huc quoque referendum puto quod Cic. i. Rhet. ad Heren. ſcribit. Et in publicis quæſtionibus cauetur legibus vt ante ſi reo commodum ſit, iudicium de accuſatore fiat, Vtrum illi liceat accuſare nec ne. Enimuero quod Imper. Alexand. reſcripſit, Reos capitalium criminum abſentes per procuratores defendi legibus iudiciorum publicorum permitti l. iii. C. de accuſatio. non tam ad legem Iuliam, quàm ad omnes ſpeciales publicorum criminum leges videtur pertinere.

De itinerum per lapides dimetiendorum ratione, & leuga Francica. CAP. VIII.

RITVM eſt, Romanos itinerum ſpatia miliaribus & lapidibus dimenſos fuiſſe. Pleni ſunt exemplorum libri, quibus congerendis opera, litteriſq; non abutar. Si quis tamen eius rei probationem ex libris noſtris deſideret, in promptu ſunt l.i. §. initio. D. de offic. præf. vrb. l. propter litem. §. vlt. D. de excuſ. tut. §. qui excuſare. Inſtit. eod. Apparet autem ex d. §. initio. lapidem & miliarium pro eodem dici. Et miliarium à mille paſſuum numero dictum nemo ignorat. Lapidis in eadem ſignificatione vnde manarit appellatio, hoc eſt quod explicare ſtudeo. Quod mihi antea obſcurum Plutarchus in Gracchis patefecit, à quo didici ſingulis miliariis, auctore Tiberio Graccho, lapideas columnas ſpatiorũ ſigna inſcripta habentes poſitas fuiſſe. Vnde lapidibus itinerum quoque dimenſionem fieri in vſum venit. Verba Plutarchi ſunt hæc: πρὸς δὲ τούτοις διαμετρήσας κατὰ μίλιον ὁδὸν πᾶσαν. τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ· κίονας λιθίνους σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησεν. ἄλλους δὲ λίθους ἔλαττον ἀπέχοντας ἀλλήλων ἑκατέρωθεν τῆς ὁδοῦ διέθηκεν. ὡς εἴη ῥᾳδίως τοῖς ἵππους ἔχουσιν ἐπιβαίνειν ἐπ' αὐτῶν ἀναβολέως μὴ δεομένοις. Qua de re & Appian. lib i. bellor. ciuil. ὁ δὲ Γράκχος, ait, καὶ ὁδοὺς ἔτεμνε, δι' Ἰταλίαν μακρὰς πλῆθος ἐργολάβων καὶ χειροτεχνῶν

ὑφ' αὐτοῦ ποιούμενος. Plutarcho addatur Strabo qui lib. v. Geographiæ μεταξὺ γοῦν, inquit, τοῦ πέμπτου καὶ τοῦ ἕκτου λίθου τῶν τὰ μίλια διασημαινόντων τῆς ῥώμης, &c. Herodianus σημεῖα vocat lib. ii. καὶ προσαγορεύει κολασθήσεσθαι κεφαλικῶς εἴ τις ἡμφιεσμένος ἑκατοστοῦ σημείου ἀπὸ τῆς ῥώμης φανείη. Vtitur & eodem verbo lib. vlt. quod idem Rutilius Claudianus Itinerarii lib. ii. quod non ita pridem in lucem Onufrii beneficio prodiit, ita effert,

Inter valla vix fessis præstare videtur,
Qui notat inscriptus milia crebra lapis.

σημεῖον verbo in eandem sententiam vtitur Suidas in ver. ὠτία. Vide & Socrat. lib. v. hist. ecclesi. & vi Epiphan. lib. ii. contra hæres. cap. contra Cal ἀντὶ ἑνὸς σημείου ἤτοι μιλίου προσκόπτον κατὰ χεῖρα ἔπι πλέον μὴ εὕροι τὴν ὁδόν. Hoc & Quintil. lib. iiii. cap. vlt. indicat. Reficit quoque (de partitione loquitur) audientem certo singularum partium fine, non aliter quàm facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia. Boëthius etiam lib. iii. Geometr. lapides quosdam, quos appellat Cursorios, antiquitus inscriptos fuisse ait, quibus itinera discriminarentur. Nec prætcribo venisse aliquando in manus meas vetustum Canonum pœnitentialum, quos vocant, librum, ex cuius præfatione hæc verba excerpsi. Quisnam hominum erit, qui sibi manẽdum existimet in itinere, cùm viderit miliaria lapidea litteris plena viam docere? Sed hoc ipsum illustrius fiet eius monumenti, quod Thelesiæ extat, inscriptione relata, quæ ita habet: VIAM FECEI AB REGIO AD CAPVAM, ET IN EA VIA PONTES OMNES MILIARIOS TABELLARIOSQVE POSEIVEI, HINCE SVNT NOVCERIAM MEILIA LI. &c. Hîc illud excessus loco subiungam, vt Romanos miliaribus, ita & Gallos leugis iam ab vltima antiquitate itinera metiri, hoc vocabulum Gallicum. Vt ex Paulo Vvarnefrid filio lib. xv. appendicis ad Eutrop. & Hieronymo in Iohelem, & ex legibus, quas Theodoricus rex Francorum Baiuuariis conscripsit, & Isidoro lib. xv. ethymolog. cap. xvi. & fragmentis quæ in libello variorum auctorum de Limitibus congesta sunt, comprobatur. Ammianus Marcellin. lib. xv. qui locus exordium est Galliarum. Exin-

Exinde non millenis passibus, sed leucis itinera metiuntur.

Quænam in iure dominij impetrando olim forma seruaretur.

Cap. IX.

CReditores, qui pignus acceperant, cuius facilis & expedita distractio non esset, debitoribus in solutione cessantibus, vt id sibi iure dominii possidere liceret, à principe plerumque impetrasse in iure ciuili satis est cognitum. l. elegãter. D. de pign. actio. l. si is qui in aliena. §. vlt. D. de adquir. rer. do. tit. de iur. dom. impet. C. l. debitor D. ad Trebel. l. vlt. C. si in causa iudic. pig. Sed ea in re quænam sollemnia seruarentur, non satis liquet, eoq; obscurior est l. j. C. de iure dom. impetr. in qua huiusmodi solemnium mentio habetur. Ego de eo quod proferam, hoc tantum habeo, pignus primùm à creditore proscribi venaleq; propõni solitum. Eius si emptor non inueniretur, vel minus idoneus inueniretur, tunc à principe creditor, vt sibi iure dominii tenere habereq; liceret, postulabat. Quo facto debitori anni spatiũ indulgebatur, intra quod oblato debito pignus luere ac reuocare posset: post eum annum lapsum deinceps creditor ex rescripto principis pro domino pignus possidebat. Quod nisi vnius Iustiniani testimonio cognitum esset, id ipsum vetustas vt alia multa obliuione obruisset. Verba Iustiniani ex l. vlt. C. de iure domin. impetr. hic adscripsi. "Igitur in pignoribus, quæ iure dominii possidere aliquis cupiebat, proscriptio publica & annus luitionis antiquitus introducti sunt. Pignus autem publicè proscriptum neque vidimus, neque nisi tantummodo ex librorum recitatione audiuimus." Hinc autem interpretatio d. l. si is qui in aliena. §. vlt. petetur, in qua ita est. Quæ cùm ita sint, & cùm ex principis auctoritate creditor vt proprium agrum tenere cœperit, iure dominii intra constitutum luendi tempus pignoris causa vertitur: constitutum tempus anni intellige, qui ad luendum pignus debitori concedebatur.

De plus petentibus. CAP. X.

EOs, qui plus petebant, causa, olim cecidisse Ciceronis ex lib.i.de Orator. verbis confirmari solet.Sunt & alia præterea de ea re loca notanda, quæ hic congessi. Idem Cicero pro Q. Rosc.
" Com. Pecunia tibi debebatur certa quæ nunc petitur per
" iudicem, in qua legitimæ patris sponsio facta est. Hic tu si
" amplius H-S. nummo petisti, quàm tibi debitum esset,cau-
" sam perdidisti. Sueton. in Claudio cap. xiiij. Nam & iis qui
" apud priuatos iudices plus petendo formula excidisset,resti-
" tuit actiones. Paulus lib.iii. Sentent.tit.vlt. Quotiens,ait,de
" modo quartæ retinendæ quæritur, propter periculum plus
" petendi officio iudicis omnibus æstimatis quarta facieda est,
" quę apud heredem maneat.Idẽ lib.ij. Sentent.tit. v. Cõpen-
" satio debiti ex pari specie & causa dispari admittitur. Veluti
" si tibi pecuniam debeam, & tu mihi pecuniam debeas, aut
" frumentum, aut cetera huiusmodi,licet ex diuerso contractu
" compensare vel deducere debuit,si totum petat plus peten-
" do, causa cadet. Hoc etiã plus petitionis periculum à Maio-
" ra. in Nouell.tit.j. perstringitur. Denique eius aperta relicta sunt vestigia in l. i. D. de interrogat. in iu. fac. paulò verò obscuriora in l. si pater. D. de solutionib. Et in l. si ex pluribus D. si pars hered. petatur. In qua si ex pluribus ad quos eadem hereditas pertinet quidam adhuc deliberent, eos qui adierint, si putant hereditatem non maiori ex parte petere debere quam habituri essent cæteris adeuntibus scribitur, nec eis prodesse (quum scilicet formula cadant quasi plus petierint) si cæteri non adierint.

De statuis, imaginibusq; principum. CAP XI.

QVAM fuerint honorum diuinorum auidi Rom. principes, multa eorum dicta factaq; declarant, vt cetera omittam, vel in statuis suis imaginibusq; tuendis quantum studij posuerint, ex eorum cõstitutionibus, fideq; historica æstimemus. Eas certè in militaribus signis, vt præsentia numina coli, arasq; etiamnum in castris eis poni solitas, ex Tacito lib.xiiii.& Ve-

get.lib.ii. cap. v. & vi constat. In vrbe verò tantæ religioni ac venerationi habitas æquè constat, non modò vt extrahere, rapere, violare eos, qui ad eas confugissent, casue, pretulissent, sed ne conflare quidē eas ac vēdere sine capitis periculo liceret. Hoc enim in maiestatis crimen, iudiciumq; vocari voluere, si eorum statua imagóue consecrata venisset. l. qui statuas. D. ad legem Iul. maiest. Dixi, consecrata. Etenim nō videri contra maiestatem fieri ob imagines Cæsaris nondum consecratas venditas Seuerus & Antoninus rescripsere. l. nō contrahit. in fin. D. ad legem Iul. maiestat. Sed & illud temperamentum additum est, vt quamquam specialiter & per se venire statuæ principū nō possent, domus tamē vel horti, vel prędij vēditiōi sine discrimine accederent. arg. l. in modicis. D. de contr. empt. Quod tamen dubitatione primum non caruit. Etenim Falanio Equiti Rom. ab accusatore obiectum Corn. Tac. lib. i. narrat, quòd venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset, quanquam is Tiberii rescripto periculum effugit, quo non ideo contra religiones fieri Coss. rescripsit, quòd effigies Augusti, vt alia numinū simulachra venditionibus hortorum vel domuum accederent. Iisdem quoque temporibus L. Ennium Equitem Ro. maiestatis postulatū idē auctor lib. iii. rettulit, quòd effigiē principis promiscuum ad vsum argenti vertisset. Quem tamen inter reos recipi Atteio Capitone Iureconsulto contrà censente Tiberius vetuit. Planè eo imperante in iudicium adductum quēdā, maiestatisq; accusatum Suetonius cap. lviii. Tiberii prodidit, quod statuæ Augusti caput dempsisset, vt alterius imponeret: damnatoq; eo, hoc genus calumniæ paulatim eò processisse, vt hæc quoque capitalia essent, circa Augusti simulacrum seruum cæcidisse, vestem mutasse, nummo vel anulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse. Vnde Seneca libro tertio de Benef. narrat, Tiberio imperante Prætorium quemdam virum in anulo insculptam Cæsaris imaginem habentem, cum matellam sumpsisset, maiestatis postulatum, quòd imaginem obscœnis admouisset. Philostrat. lib. i. de vita Apollonii, προσκείμενον τοῖς βασιλικοῖς ἀνδρείασιν, οἳ καὶ τοῦ Διὸς τοῦ ἐν Ὀλυμπίᾳ φοβερώτεροι τότε καὶ ἀσυλότεροι ἦσαν πλείω γε ὄντες ἐφ' οὗ λέγεταί τις ἀσεβῆσαι δόξαι τυπτήσας τὸν ἑαυ-

τοῦ δοῦλον φέροντα δραχμὴν ἀργυρέαν νενομισμένην ἐς πορνεῖον. Caracallæ quoq; tēporibus damnatos eos fuisse Spartia prodidit qui vrinam in eo loco fecissent in quo statuæ aut imagines erant principis, & qui coronas imaginibus eius detraxerant & alias ponerent. Xiphil. in Domitiano, γυνή δέ τις ἀπεδύσατο ἐναντίον εἰκόνος τοῦ Δομιτιανοῦ, ἐκρίθη τε καὶ ἀπώλετο. Ceterùm cum improbi passim homines imaginibus Cæsarum sine causa prælatis statuisq; adprehensis inuidiam aduersariis cōcitarent, Senatusconsulto prohibitum fuit, ne quis in alterius iniuriā ad statuas principum cōfugeret, imaginésue eorū portaret: qui secus faceret, in vincula publica mitteretur. l. senatusconsulto. D. de iniur. capitaliū §. ad statuas. de pœn.

De viarum curatoribus. CAP. XII.

INTERDICTVM quod de via publica proponitur, ad vias tantùm rusticas, non etiam ad vrbicas pertinere, Vlpian. docēs, hanc rationem subiecit. Harum enim cura pertinet ad magistratus. l. ij. §. hoc interdictum. D. ne quid in loco pub. verùm, ad quos magistratus, tractandum est. Nam & eo Venuleii locus explicabitur, in quo, Nouam cloacam facere eum demum concedere debere ait, cui publicarum viarum cura sit. l. vlt. D. de cloac. Curam autem viarum ad Ædilium officium pertinuisse, vel edictum Ædilicium in Pandectis relatū docet: quo edicebatur, ne quis animal aliquod quà vulgo fieret, ita haberet, vt nocere cuiquam damnumve dare posset. l. hi enim. l. quà vulgo. D. de ædilic. ed. Comprobatur & eo quod aliàs legitur, lectos quòd in via positi essent, Ædilem concidisse. l. lectos. D. de pericul. & com. Manifestius verò lege Pāpiniani Græca, quæ sub tit. de via publ. posita est; id ipsum ostēditur, ex eoq; quod Diō lib. lviii. & Tranquill. in Vespasiā. cap. v. narrāt, Caii Caligulæ iussu Flauii Vespasiani Ædilitatē gerentis vestē luto oppletā ac respersā, propter curā verrendis viis non adhibitā, quarū ad eū ex officio purgatio pertinebat. Stat. Papin. lib. iiii. Syluer. priusquā Te Germanic⁹ arbitrū sequēti Annona dedit omniūq; late præfecit stationibus vicinum. Erāt & viarū curatores, quorum Paul.

lib.v.Sentent.tit.vi.meminit:qui composito nomine Viocuri dicebantur quod vocabulum apud Varro.lib.iiii.de lingua Lat.reperitur. Planè à P.Victore curatores duo vnicuiq; vrbis regioni adsignantur. Atque inter noua officia ab Augusto excogitata etiam viarum curationem Sueton.in eius vita ca. xxxvii.numerat. Capitolinúsq; his curatoribus potestatem à M.Antonino philosopho datam memorat, vti punirēt quos videretur, aut puniendos ad præfectum vrbi remitterent. Antea quoq; Quatuoruiros,qui viarum curam gererent, in Republ.cōstitutos Pompon.in l.ij.§.deinde cùm esset. D. de orig. iur. scribit. Hi sunt qui à Dio.lib.liiii. οἱ τέσσαρες τῶν ἐν ἄστει ὁδῶν ἐπιμελούμενοι appellantur. De quibus & illæ Antiquitatis inscriptiones accipiendæ sunt,quæ Vibini & Tiburi extant,in queis IIII. Vir. viar. curan. fit mentio. Sed & Quæstoribus viarum sternendarum muniendarumq; curam mandatam fuisse inuenio. Hoc Tranquill.in Claud.cap.xxiiii.demonstrat. Collegio,ait,Quæstorum pro stratura viarum gladiatorum munus iniunxit. Augustum denique idem auctor scribit spatium vrbis in regiones vicósq; diuisisse,instituisséq; vt illas annui magistratus sortitò tuerentur, has magistri è plebe viciniæ cuiusque electi, quos Vicomagistros P. Victor vocat.

De decurionibus. CAP. XIII.

MVLTA de decurionibus antiquitatis studiosis non ignoranda libris nostris continentur. Ea quam potero breuissimè complectar. Decuriones publici consilii causa, quod & origo nominis ab Vlpian. in l. pupillus. §. decuriones. D. de verbor. significat. exposita indicat,in municipiisq; conscribebantur:erantq; suæ curiæ quasi Senatores. l.omnes.C.de decurionib.lib.x.vnde & βουλευταὶ Græcis appellantur. Cassiodor. lib. ij. Variar. Epist. ad Budilam, ait, antiquos Curiam minorem senatum appellasse. Ex his magistratus,id est Duumuiri, Ædiles,&,vt in aliquibus municipiis Dictatores, prætoresq; creabuntur. Nec vero aliis quàm qui ex ordine decurionum essent, honores municipiorum mandabantur.l.honores. ¶.penult. D.de decurionib. Per eosdem

omnia ciuitatum munera explicabantur. Nam & pecuniam publicam tractabant, erogandam decernebant, annona vti ciuitati superesset, prouidebant, curatorésq; frumenti, olei comparandi, vel operum publicorum, aut alterius negotij Reip. causa, necnon legatos, & syndicos, & tutores periculo suo constituebant: tributa quoque, census, legata Reipub. relicta eorum vigilantia ac sollicitudine exigebantur, omniúq; in vniuersum, quæ ciuitatis administrationem respicerent, eis onus imponebatur. l. ii. §. i. cum sequen. l. non debere. l. libertus. §. exigendi. l. Lucius. & l. vlti. §. Imperatores. D. ad municipal. l. ex facto. D. de negot. gest. l. decuriones. C. de admin. rer. ad ciuit. pert. Atque ita curiæ nexibus obstricti erant, vt militia eis, l. ne quis officialium. l. quamuis. l. si quis decurio. C. de decurionib. lib. x. & vectigalium publicorum, alienarumq; quarumlibet rerum conductione, procurationeq; interdiceretur. l. ii. §. i. D. de administr. rer. ad ciuit. pert. l. spurii. §. decurio. D. de decurionib. l. curialis. C. loca. videlicet ne alienorum negotiorum cura à suo munere auocarentur. Quæ omnia ex Impp. constitutionibus descendunt. Nam de vectigalibus quidem, vt ne ea decurionibus per se vel per subiectam personam exercere licet, ab Hadriano constitutũ Xiphilin. ita scribit: ἐνομοθέτησε ἄλλα τε πολλὰ, καὶ ἵνα μηδεὶς βουλευτὴς μήτ' αὐτὸς μήτε δι' ἑτέρου τέλος τι μισθῶται. Reliquorũ auctores obscuri non sunt. Tot verò muneribus obnoxii decuriones cùm essent, mirum videri non debet, si curiam quoad posset quisque defugeret, adeò vt pœnæ loco Christiani ab impiis principibus curiis addicerentur: quemadmodũ Cassiodor. Tripart. hist. lib. i. cap. ix. & lib. vi. cap. vii. & lib. vii. cap. vlt. testatur. Pro quibus tantis oneribus, decurionibus prærogatiua data fuit, vt à plebeiis in pœnis separarentur. Nã neque fustibus, neque quæstioni subiici. l. decuriones. C. ex quib. caus. infa. l. decuriones. C. de quæstionib. Iustinian. Nou. xlv. καὶ ἐπειδήπερ οἱ νόμοι πολλὰ διδόασι τοῖς βουλευταῖς προνόμια περί τε τὸ μὴ τύπτεσθαι, περί τε τὸ μὴ παρίστασθαι, μήτε εἰς ἑτέραν ἀγέσθαι χώραν, καὶ ἕτερα μυρία. neque in metallũ, vel in opus metalli damnari, vel furcæ figi, vel ad bestias, aut in opus publicum dari, vel viui exuri poterant: & si fortè huiusmodi sẽtentiæ adfecti essent, auctoritate principis liberabantur. l. mo-

ris. §. istę ferè l. capitalium. §. & generaliter. D. de pœn. l. iii. D. de veteran. Et generaliter capite puniri eos Diuus Hadrianus prohibuit. l. diuus D. de pœn. Quinimmò ne leuiores quidem pœnæ iis à prȩsidibus prouinciarum iure irrogabantur: sed si capitale quid admisissent, in carcerem dumtaxat eos diligentioris custodiæ causa recipere, vinctosq; custodire licebat: ac deinde de eorum pœna Imperatori scribendum erat, vt relegandi extra prouinciam in insulam essent, vel alia pœna grauiore adficiendi, princeps ipse recognita statueret. Quod & mandatis cauebatur. l. diui. §. vlt. D. de pœn. l. si quis filio. §. eius. D. de iniusto rupt. l. i. §. i. D. quando appellan. sit. Atque hunc honorem non ipsorum tantùm decurionum personæ, sed & parentibus liberisq; eorum habitum superiores loci declarãt. Ad hæc ab extraordinariis omnibus muneribus decuriones immunes erant. l. curiales. C. de decurionib. l. humilioribus. C. de susceptoribus. Quinetiam ne curiæ inopia ciuium desererentur, à Theodosio primum cõstitutum, à sequentibus deinde Imperatoribus confirmatum est, vti naturales filii curiæ oblati legitimi fierent, suorumq, heredum iura nanciscerentur. l. si quis. l. quoniam. C. de naturalib. liber. § quibus connumerari. Institut. de heredit. quæ ab intest. Nou. quib. mod. natur. efficiant. sui.

Explicata l. abesse. D. ex quib. cau. maior. particula.

Cap. XIIII.

PANDECTAS antiquitatis promptuarium meritò quis appellet. Semper enim obseruatione dignum aliquid accurata earum lectio suppeditat. Quale illud est quod in l. abesse. D. ex quib. causis maior. legitur, abesse Reipubl. causa intelligi, Tribunos militum & comites legatorum, qui ad ærarium delati, aut in commentarium principis delati sunt. Ex quo intelligimus comitum, eorumq; qui magistratibus vel proconsulibus aut legatis ministrabant, quibus è publico salaria præstabantur, nomina ad ærarium olim delata fuisse. Quod Senatusconsulti de curatoribus aquarum facti verba

à Frontino libro secundo de Aquæductib. relata demonstrant. Ea sic habent: Quibus apparitoribus ex hoc Senatu-
" sconsulto curatoribus aquarum vti liceret, eos diebus x. pro-
" ximis, quibus Senatusconsult. factum esset, ad ærarium defer-
" rent: quiq; ita delati essent, ijs Prætores ærarij mercede ciba-
" ria quanta præfecti frumento danda dare, deferreq; solent, annua darent & attribuerent.

Expositum Tabernæ casearia verbum in Aristonis responso.

Cap. XV.

Aristo Cerellio Vitali respondisse dicitur, non putare se ex taberna casearia fumum in superiora ædificia iure immitti posse, nisi eius rei seruitutem talem admittat. l. sicuti. §. Aristo. D. si seruit. vindic. Immittendi enim fumi vtiliter cedi & constitui seruitutem non dubium est: sed eius in taberna casearia quis vsus fuerit, non assequetur, nisi qui ex antiquitate veterem caseorum fumigandorum morem repetierit. Quem Plinius lib. xj. cap. xlij. comprobat. At caprarum, ait, gregi-
" bus sua laus est in recenti maximè, augente gratiam fumo,
" qualis in ipsa vrbe conficitur cunctis præferendus. Martialis
" Xenijs:

Non quemcumque locum, nec fumum caseus omnem:
Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit.

Athenæus lib. j. ἐπειδὰν δ᾽ ἀνεμβληθῇ εἰς τὸν φοῦρνον ἀποζέσεται τῷ ῥήματι χονδρὸς τις καὶ ποτε ἐπιτίθεται ὁ ἄρτος καὶ ἕλκει χρῶμα ἀειτονόιον τῷ φυμώσῃ τύρῳ. Credebantur autem gratioris & suauioris gustus esse casei fumo infuscati.

Coniunctam olim fuisse iuris diuini & humani scientiam.

Cap. XVI.

Ridicvlvm videtur nonnullis Iurisprudentiam rerum diuinarum & humanarum notitiã ab Vlpian. definiri, quòd existiment rerum diuinarum cognitionem

tionem nihil cum iuris ciuilis scientia commune habere. Atqui ex veteribus memoriis certissimum est in vtriusque cognitionis facultate consultos pares fuisse, tenuisseq; & edocuisse eos quibus hostiis, quibus diebus, quo ritu, ad quæ templa sacra facienda essent, quæ sepulchrorum monumentorumq; iura, quæ iustorum funebrium sollemnia essent. Quæ ad ius publicum & diuinum referebantur omnia cuius peritia æquè priscos prudentes atq; humani iuris cognitione commendari video. Sic enim de Scæuola Valer. Max. lib. viij. cap. viij. Cum bene ac diu iura ciuium & cerimonias Deorum ordinasset. Idémq; Titum Manlium Torquatum iuris ciuilis & sacrorum Pontificalium peritissimum lib. v. cap. viij. appellat. Eadem laus etiam Ateio Capitoni à Corn. Tacit. lib. iij. tribuitur. Ateij, ait, Capitonis insignior infamia fuit, quòd humani diuiniq; iuris sciens, egregium publicum & bonas domi artes dehonestauisset. Eundem Macrobius pontificij iuris inter primos peritum lib. vij. cap. xiij. vocat. Quod nos certius intelligeremus, si quos reliquisse eum iuris pontificij libros Gellius lib. iiij. cap. vj. & Fest. lib. xij. testantur, in manibus haberemus. Nec Capitoni Labeo in hac re concessit, cuius etiam de iure pontificio commentarij Festi Pompeij, Charisiiq; Sosipatri testimoniis posteritati commendantur. Huius quoque iuris peritia Cocceium Neruam Tacit. lib. v. ornat. Haud multo pòst, inquiens, Cocceius Nerua cōtinuus principis, omnis diuini humaniq; iuris sciēs, integro statu, corpore inlæso moriendi consilium cepit. Sed nec Massurium Sabinum huius iuris ignarum fuisse argumēto est, quòd eius auctoritate Gellius lib. x. cap. xv. in explanandis flaminum cerimoniis vtitur. Denique pōtificium ius ciuili coniunctum esse, Cic. in Brut. & in lib. iij. de leg. ostendit. Nostri etiam auctores iuris ciuilis alteram speciem in sacris & sacerdotibus consistere statuunt: vnde perspicuum fit rerum diuinarum scientiam ad Iurisprudentiam olim pertinuisse, nec verò aliter omni laude cumulatum Iurisconsultū extitisse, quàm si omnia & humana & diuina iura scientia cognitionéq; complexus fuisset.

S

De mastigophoris ad l. vlt. D. de muneribus & honoribus.

Cap. XVII.

AGONOTHETAS, qui certaminibus præsidebant, mastigophori quidam, qui virgis insolentiã certatorum spectatorumq; coërcerent, comitabãtur. Hoc Arcadi⁹ Charisius in l. vlt. D. de muner. & hono. disertis verbis expressit. Lucianus in libello aduersus indoctum librorum emacem τοὺς ἀθλοθέτας δὲ ἀγανακτήσαντας ἐπὶ τῇ τόλμῃ, μαστιγώσαντας αὐτὸν ἐκβαλεῖν τοῦ θεάτρου. ὅπερ καὶ γελοιότατος ὤφθη δακρύων ὁ χρυσοῦς εὐάγγελος καὶ ὑπὸ τῶν μαστιγοφόρων συρόμενος διὰ μέσης τῆς σκηνῆς. Idem in dialogo cui titulus est ἁλιεὺς ἢ ἀναβιοῦντες, ἐπεὶ καὶ ἀθλοθέται μαστιγοῦν εἰώθασιν, ἤν τις ὑποκριτὴς Ἀθηνᾶν ἢ Ποσειδῶνα ἢ τὸν Δία ὑποδεδυκὼς μὴ καλῶς ὑποκρίνοιτο, μὴ δὲ κατ' ἀξίαν τῶν θεῶν καὶ οὐδὲν που ὀργίζονται αὐτοῖς ἐκεῖνοι ὅτι τὸν περικείμενον, αὐτῶν τὰ προσωπεῖα καὶ τὸ σχῆμα ἐνδεδυκότα ἐπέτρεψαν παίειν τοῖς μαστιγοφόροις ἀλλὰ καὶ ἥδοιντο ἂν οἶμαι μαστιγουμένων. Huc pertinet quod Sueton. Hylam pantomimum flagris cæsum ex theatro esse. Comprobat & Xiphilin. in Nerone: καί τοι πῶς ἄν τις καὶ ἀκοῦσαι μὴ ὅτι ἰδεῖν ὑπομείνειεν Αὐτοκράτορα Αὔγουστον ἔς τε τὸ λεύκωμα ἐν τοῖς ἀγωνισταῖς ἐγγεγραμμένον, καὶ τὴν φωνὴν ἀσκοῦντα, τοὺς ἀντιπάλους ὑποβλέποντα, καὶ ἀεί τι πρὸς αὐτοὺς μετ' ἀψιμαχίας λέγοντα, τοὺς ἀγωνοθέτας, τούς τε μαστιγοφόρους φοβούμενον καὶ χρήματα αὐτοῖς κρύφα ἅπασιν ἀναλίσκοντα μὴ καὶ ἐλεγχθεὶς μαστιγωθῇ. Id ipsum obscurius idem auctor in Heliogabalo indicat: ἀγωνοθέτην δὲ ἢ τῶν ἐξελευθέρων τινὰ ἢ τῶν ἄλλων τῶν πλουσίων ἐκάθιζεν, ἵνα καὶ ἐν τούτῳ ἀναλίσκηται· προσεκύνει τε αὐτοὺς κάτωθεν τῇ μάστιγι καὶ χρυσοῦς, ὥσπερ τις τῶν ταπεινοτάτων ἤτει. Lucian. περὶ αἱρέσεων de sortitione ludorum loquens, καὶ παρεστὼς μαστιγοφόρος ἑκάστῳ ἐπέχει αὐτοῦ τὴν χεῖρα. In certaminibus sacris etiam mastigophoros Pollux ponit ad fin. lib. iij. his verbis: ἐκ δὲ τῶν ὀνομαστικῶν ἀγώνων καὶ ὁ μαστιγονόμος καὶ ὁ ῥαβδοῦχος καὶ ὁ ῥάβδῳ κοσμῶν, φησὶν ὁ Πλάτων, Ξενοφῶν δὲ καὶ μαστιγοφόρον τοὺς λέγει. Quin & Suidas ἐπὶ τῆς θυμέλης ῥαβδοφόρους τινὰς πρὸς εὐταξίαν τῶν θεατῶν fuisse tradit. Et Etymologicum quos alij Rhabdophoros & mastigophoros appellant hos ab Eleis Ælytas

appellari scribit Prudent. lib. ij. contra Symmach.

Tum mastigophoru, oleoqꝫ & gymnadis arte
Vnctus pugilibus miles pugnabat Etruscus.

In horrea quæ res olim reconderentur. CAP. XVIII.

HORREA in vrbe Roma permulta fuisse ex Pub. Victoris de Region. vrb. Rom. libello intelligimus. Ea non frumentaria dumtaxat, quod vulgo creditur, sed & vinaria fuisse ostendit l. tabernam. D. de inst. vel instr. Nec obscurè significant Impp. qui vinum in horreis positum venisse narrant in l. ij. C. de peric. & com. Seneca epist. cxiij. Aspice veterana nostra & plena multorum seculorum vindemiis horrea. Quamquam vini cellas frequentius apothecas appellari non me fugit. Sed & mercium, instrumentorum, pignorum, rerúmqꝫ omnium mobilium custodiæ horrea attribuebantur. l. clauibus. D. de contrah. emptio. & l. heres absens. §. proinde. in fin. D. de iudic. l. vulgaris. §. certè si proponas. D. de furt. l. si quis ex argentariis. D. de eden. l. pignus. C. de pigner. act. l. quæsitum. §. idem respondit. D. de instr. & instrum. In qua melius vt opinor, vulgati codices, quàm Pisani, scriptũ habent, mensas & ceteram supellectilem in horrea patremfam. contulisse vt tutiore loco essent. Nam in hortis quemadmodum Florẽtinus codex habet, securioris custodiæ causa supellectilem reclusam verisimile non est, cum amœnitatis tantùm causa in hortis ædificia, furtis & ipsa obnoxia ponerentur. Ex contrario verò horreis tutioris custodiæ gratia & supellex item & vel pretiosa quæque condi consueuisse vt præter superiores locos, etiam confirmant l. Sticho D. de statulib. l. Seiæ. §. pen. D. de instr. vel instr. leg. l. pediculis. §. idem cum quæreretur. D. de auro & arg. legat. & l. cui quæ Romæ. D. de legat. lip. iij. l. cùm in plures. §. vlt. D. locat. in tantum, vt pretiosissimam fortunarum suarum partem in ea Romani reponerent. l. iij. §. effracturæ. D. de offic. præf. vigil. Hinc illud in l. in ratione. ij. §. verum est. D. ad legem Falcid. Pondus argenti, quod in horreis habeo. & in l. pediculis. §. item cùm quæreretur. D. de auro arg. Argentum quod in domo vel intra

» horreum fuerit. Apuleius lib. iij. de Asino au. Tunc horreum
» quoddam satis validis claustris obseptũ, obseratumq;, quod
» medijs ędibus constitutum, gazis Milonis fuerat refertum,
» securibus validis aggressi diffindunt. Atque hac de causa effracturæ periculo horrea subiacebant, quemadmodum ex d. §. effracturæ. & ex l. j. & iiij. C. loca. & l. dominus. D. eo. tit. liquidò apparet.

Quòd honori veteres ducebant morientium testamentis sibi aliquid relinqui.

Cap. XIX.

NEscio, an hoc leuioris operæ videbitur, sed tamen quod ad commendationes morientium pertineat, non prætermittendum, veteres honori duxisse, si quantumlibet modicum sibi supremo morientium iudicio relinqueretur. Ex quo Paulus in l. amicissimos D. de excusat. tutor. & ideo ad suscipiendum onus tutelę etiam honore legati eos persequi. Vlpianus in l. iii. §. i. D. de legat. pręst. Inde illud in l. Diuus §. i. D. ad leg. Cornel. de fals. legato honoratur. Hoc autem solũ debetur, quod ipsis parẽtibus relictum est & liberis. Ceterum si seruo eorum fuerit adscriptum vel subiectæ eorum iuri personæ, non debetur. Nec enim quærimus, cui adquiratur, sed cui honor habitus sit. Idem quoq; testatur l. sed & si suscepit.
» §. sed etsi proponas. D. de iudic. Cicero pro Quintio: Moritur
» in Gallia, & moritur repentinò: heredẽ testamento reliquit
» hunc Quintiũ, vt ad quẽ summus mœror morte veniebat, ad
» eundẽ summus honor quoq; perueniret. Idem pro Cęcinna:
» Vsumfructum omnium suorum bonorum Coponię legauit,
» vt frueretur vnà cum filio. Magnus honor viri iucundus
» mulieri fuisset, si diuturnum esse licuisset. Quintilianus in
» Declamatio. Institutus es primo loco heres. Non facio tibi
» istius honoris controuersiam. Et aliàs declam. cclxi. quæ ratio testamentorum cum is qui creuerit hereditatem conti-
» nuo non plus sit habiturus quam ceteri & cum his qui non
» eundem honorem supremis defuncti tabulis habuerunt

Symmach. Epist. xli. Vt tenuis honor quo subscriptores ob " amicitiam defunctus asperserat, legitimum posset abolere " iudicium. Apuleius Apol. ii. Inuenies filium heredem, mihi " vero tenuẽ nescio quid honoris gratia legatum ne si quid ei " humanitus accidisset nomen maritus in vxoris tabulis non " haberet. Valer. lib. vii. cap. vii. Consideremus, quæ testamen- " ta aut rescissa sunt legitimè facta, aut cum meritò rescindi " possent, rata manserunt: quæve ad alios, quàm qui expecta- " bant, honorem hereditatis transtulerunt. Per contrarium " autem iniuriosum atq; turpe putabatur amicorum parentũ- " ve testamento præteriri. Exheredationem certè filii, iniuriam Papinia. appellat in l. Papinianus. D. de inoffic. test. & probri loco Antonio Cicero obiicit, quòd ex amicorum testamentis nullas accepisset hereditates.

De legis actionibus. CAP. XX.

LEGIS actio quo sensu in Iureconsultorum libris accipienda sit, haud facilè ex cuiusquam commentariis intelligas. Nec enim probanda nonnullorum opinio est, qui legis actionem Boethio auctore cessionem in iure interpretantur, cùm secundum hanc sententiam, actionibus, emancipationibus, adoptionibus, manumissionibusque quas in legis actionibus veteres numerant, nomen ipsum accommodari non possit. Quamobrem rectius est dicere appellationem istam ad sollemnes ex lege descendentes actus pertinuisse, vt legis actio apud eos esse diceretur, apud quos huiusmodi sollemnitates peragi explicarique poterant. Hoc vt planum faciam, simul etiam ostẽdam necesse est verbi *lege agere* significationem latius quàm vulgo existimetur, manare: nec tantũ ex veterum sermone lege actum cum actio instituebatur sed & cum adoptio, emancipatio manumissioque imperio magistratus fieret. de iudiciali plane persecutione Ciceronis loca quæ subieci intelligenda sunt. Veluti lib. j. de Orato. Agerent enim tecum lege primum Pythagorei omnes atque Democritici. Et aliâs: Alter plus lege agendo quàm quantum in xii. Tab. lex permiserat. Idem pro Cæcinna: Omnes "

qui in eadem causa sunt,& lege agãt,& ius suum persequantur. Eodem sensu iij. in Verr. oratio. lege agere in hereditatem: quo genere dicendi Valerius quoque Max. lib. vii. tit. vii. & Plin. lib. vii. cap. v. vsi sunt. Sic & Gellius lib. xx. cap. ix. Cùm lege agitur, inquit, & vindiciæ contenduntur. Ac ne plura quæ sunt propè innumerabilia consecter, ex xii. Tab. compositas actiones, quas certas & solemnes prudentes cõstituerunt, legis actiones, id est legitimas actiones appellatas, Pomp. auctor est in l. ii. D. de orig. iur. Generalius vero hoc verbum accipitur apud Ouidium in Fastis, & Macr. lib. j. Saturn. cùm fastos dies definiunt, quibus lege licet agi: & apud Festum lib. xvi. cùm religiosis diebus nefas fuisse ait apud Prætorem lege agere, & apud Ciceron. iiii. in Verr.
» orat. illo loco: Quis apud istum Prætorem Chelidonia inui-
» ta lege agere potuit? Sic & apud Varron. lib. iiii. de lingua
» Lat. Contrarii, ait, horum vocantur Nefasti, per quos dies
» fari Prætorem nefas erat, Do, dico, addico. Itaque non potest agi, quòd necesse est vti aliquo verbo, cũ lege quid peragitur. Quod si tum imprudens id verbum emisit, aut quem manumisit, ille nihilominus est liber. Ita lege agere aut legitimo iudicio agere diuersa facit Vlpian. in Institutio. fragment. tit. de tutel. Sed iam apertioribus testimoniis causæ iugulum prememus. Tacit. lib. xii. Diuus Augustus
" apud Equestres, qui Ægypto præsident, lege agi, decretaque
" eorum perinde haberi iusserat, ac si Romani magistratus es-
" sent. Quæ verba nihil aliud significare nemo nisi stultus negabit, quàm præfecto Ægypto datam esse, quemadmodum nostri auctores loquuntur, legis actionem: proindeque apud eum manumissiones seruorum, emancipationes, adoptiones, & alias id genus sollemnitates fieri permissum. Sic enim in l. j. D. de offic. iurid. Alex. Vlpian. ratiocinatur: Adoptare quis apud iuridicum potest, quia data est ei legis actio. & in l. ii. §. vlt. cum l. seq. D. de offic. procons. Apud legatũ verò proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet iurisdictionem talem: nec adoptare potest, omnino enim non est apud eum legis actio. Imper. Gordia. in l. j. C. de adoptio. Hi qui in aliena potestate sunt, iuxta ius ciuile nõ nisi apud eum, apud quem plena legis actio est, adoptari possunt

Modestin. in l. magistratum. D. eo. tit. Magistratum, apud se posse, Neratii sententia est. Paulus lib. ii. Sentent. tit. xxvi. Apud magistratus municipales, si habeant legis actionem emancipari & manumitti potest. Ex quibus apparet adoptiones, emancipationesq; in numero legis actionum habitas: quod & Iustinian. in Nouella lxxxi. scribit. Inde Vopiscus in Aureliano: Hoc igitur, inquit, quod Cocceius Nerua in Traiano adoptando, quod Vlpius Traianus in Hadriano, quod Hadrianus in Antonino, & ceteri deinceps in proposita suggestione fecerint, iam in adrogando Aureliano, quem mihi vicarium iudicii tui auctoritate fecisti, censui esse referendum. Iube igitur vt lege agatur, sitq; Aurelianus heres sacrorum, nominis, & bonorum, totiusque iuris. Ammian. Marcellin. lib. xxii. Dein Mamertino ludos edente circenses, manumittendis ex more inductis per admissionum proximum. ipse lege agi dixerat, vt solebat; statimque admonitus iurisdictionem eo die ad alterũ pertinere, vt errato ob noxiam Decembris auroram & ipse mutauit. Atque hinc verus l. nemo alieno. D. de regul. iur. sensus pendet, quæ hoc meo quidem iudicio significat, neminem alieno nomine legitimos actus explicare posse. Nec enim adoptari, emancipariúe quis absens, nec per alium huiusmodi sollemnitatem peragere poterat. l. post mortem. §. vlt D. de adoptionib. Sed nec alteri petere, alienúmue ius in iudiciũ deducere mero iure licebat. Per procuratores id fieri vtilitatis causa tãdẽ receptũ est. Institut. de his, per quos agere poss. Cicer. pro Rosc. Comœdo: alteri nemo petit, nisi qui cognitor est factus. & Cornificius in lib. Rhetoric. ad Herenn. legem profert, quæ maiorem lx. annis, aut cui morbus causa esset, cognitorem dare permitteret. Potest & hinc intelligi, quod in l. Barbarius. D. de off. præt. scriptum est, Apud eum egerunt vel lege, vel quo alio iure.

De actis iudiciariis & notis. CAP. XXI.

EOs, qui notis scribunt acta præsidum, Reipubl. causa non abesse definit Vlpiã. in l. inter eos. D. ex quibus cauf. maior. Vnde colligitur olim notis ex-

cipi solita acta, quæ apud præsides, magistratusque habebantur, cum aliter nō posset loquentium celeritatem manus adsequi. Quod Ammia. Marcell. lib. xiiii. verbis quæ subieci, comprobat. Proinde die funestis interrogationibus præstituto imaginarius iudex Equitum recedit magister, adhibitis aliis iam quæ agenda essent doctis. Et adsistebant hinc inde notarii, quid quæsitum esset quidue responsum, cursim ad Cæsarem perferentes. Actorum autem, si quis quemadmodum ea olim conciperentur scire desideret, exempla habemus in l. proximè. D. de his, quę in test. delent. in l. penult. D. de auctorit. tut. & in l. penult. D. ad legem Iul. de vi priua. & in Beatorum, quos vocant, passionalibus libris Cēterùm notis veteres in legibus, Senatusconsultis, edictis scribendis vsos vnicus Valerii Probi libellus abundè docet. Sūt & in hanc sententiam elegantes Manilii in libris Astronom. versus, quibus Notarum compendia qui tenuerit, cum leges & iura pop. Rom. sciturum, & intra domesticos, ac priuatos parietes, qualiter cuique ius reddendum sit, in promptu habiturum significat.

Hic, ait, *scriptor erit felix, cui littera verbum est,*
Quiq; notis linguam superet, cursumq; loquentis
Excipiet, longas noua per compendia voces. Et mox,
Hinc etiam legum tabulas, & condita iura
Nouerit atque notis leuibus pendentia verba,
Et licitum sciet, & vetitum quæ pœna sequatur,
Perpetuus populi priuato in limine prætor.

Extant in Ausonii Epigrammatis scitissimi de notario versus quos propter prolixitatem hic non adscripsi. Plutar. in Caton. Vticens. τοῦτον μόνον ὧν Κάτων εἶπεν διασώζεσθαι φασὶ τὸν λόγον Κικέρωνος τοῦ ὑπάτου, τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαντος ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τόπους πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν. εἶτα ἄλλον ἀλλαχόσε τοῦ βουλευτηρίου σποράδην ἐμβαλόντος. οὔπω γὰρ ἤσκουν οὐδὲ ἐκέκτηντο τοὺς καλουμένους σημειογράφους ἀλλὰ τότε πρῶτον εἰς ἴχνος τι καταστῆναι λέγουσιν. Erant & notarum pleni iuris ciuilis libri, quarum varia ac subtili interpretatione cum multi in fraudem inducerentur: magnæ etiam iudicantibus, discentibusq; tenebræ offunderentur, nouitii eas Imperatores, quemadmodum Isidor.

Isidor. lib. j. Etymolog. cap. xxii. scribit, ex legum codicibus sustulere. Et sanè Iustinian. disertè prohibuit quicquam in suis libris notis scribi, ne qua malignis interpretibus, imperitisue, verborum euertendorum ansa præberetur. Testamenta autem notis scribi longè antè in paganorum causis improbatum fuerat: in militibus, quibus quoquomodo vellent, & quomodo possent testamenta facere, principum constitutionibus concessum fuerat, tunc tolerabatur, cùm litteris perscribi testamenta sua angustiæ temporis passæ non erant. l. Lucius. D. de milit. testam. Itaque nec notis scriptæ tabulæ edicto, quo Prætor secundum tabulas bonorum possessionem defert, continebantur. l. sed cum patrono. in fin. D. de bono possess.

Explicatur l. vnica. C. de nudo iure Quiritium tollendo.

Cap. XXI.

NOn intelligunt Accursiani quid sibi ea constitutione Iustinianus velit, quæ de nudo iure Quiritium tollendo inscribitur. Ac ne intelligi quidē id ex Iustinianeis libris potest: sed eius rei explicatio ex Theophilo Græco Iureconsulto arcessenda est: qui duo fuisse antiquitus dominiorum genera perspicuè ad fi. tit. de libertin. tradit. Naturale vnum, quod in bonis: alterū legitimum, quod ex iure Quiritium appellaretur: quorum vtrumque qui adeptus esset, is pleno iure dominus dicebatur. Quod dominiorum discrimen ab Vlpiano etiam in Inst. tit. j. disertè proponitur. Qui tantum in bonis, ait ille, non etiā ex iure Quiritium seruum habet, manumittendo Latinum facit. In bonis tantum alicuius seruus est, velut hoc modo, si ciuis Rom. à ciue Ro. seruum emerit, isq; ei traditus sit, neque tamen mancipatus ei, neque in iure cessus, neque ab ipso anno possessus sit. Nam quamdiu horum quid fiat, is seruus in bonis quidem emptoris est: ex iure Quiritium autem venditoris est. Sed & idem auctor eodem lib. tit. de dominiis, hæc quoque separat. Si seruus, inquit, alterius in bonis, " alterius ex iure Quiritium sit, ex omnibus causis adquiret ei, "

cuius in bonis est. Hoc autem ex iure Quiritium dominium iustum, legitimumq; in veterum libris appellatur: idque sex fere rebus perfici Varro. lib. ii. de re Rust. cap. x. scribit. si hereditatem iustam adiit, si, vt debuit, mancipio ab eo accepit, à quo iure ciuili potuit: aut si in iure cessit, cui potuit cedere, & id vti oportuit. aut si vsucepit: aut si è præda sub corona emit, túmve cùm in bonis sectionéve cuius, publicè venit. Planè enim sine nexus vel cessionis in iure sollemnitate res ex iure Quiritium non abalienabatur, vt &. Cic. in Topic. indicat, nec aliter alienata antè ex iure Quiritium eius, qui acceperat fiebat, quàm vsucepisset: hereditate certè & legato iustum dominium ex xii. Tab. quærebatur. Quæ omnia ab Vlpia. in Instit. tit. xix. exponuntur. Atque hoc sibi dominium adserebat is, qui vindicabat hac vulgata formula, HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO. Hinc & illa iudicis dati formula apud Cicero. iiii. orat. in Vetr. Si paret fundum Capenatem, quo de agitur, ex iure Quiritium P. Seruilii esse. Ceterùm hanc dominiorum subtilem differentiam Iustinianus sustulit: Eaq; tituli illius, De nudo iu. Quir. tol. sententia.

Restitutum antiquum verbum in l. mulieris. D. de verborum signific. CAP. XXIII.

EST sua verbis non minus quàm rebus antiquitas, cuius nos quoque studiosos esse par est. Itaque vetus elegans verbum scriptorum incuria multis in locis deprauatum hoc capite restituam. Occasionem præbet Vlpian. cuius in l. mulieris §. i. D. de verb. signif. verba hæc sunt: *Res abesse videntur, vt Sabinus ait, & Pedius probat, etiam hæ, quarum corpus manet, forma mutata est: & ideo si corruptæ redditæ sint, vel transfiguratæ, videri abesse: quoniam plerumque plus est in manus pretio, quàm in re.* Vbi nonnulli emendant, plus est in manu pretii: neutrum, vt mihi quidem videtur, rectè. Existimo enim ab Vlpian. scriptum fuisse, Manupretio, antiquorum more, qui hoc ita coniunctim enuntiabant: quomodo etiam reponendum censeo in l. qui insulã. §. qui ædem. D. loca pro lapide & manupretio. Varro lib.

iiii. de lingua Lat. Quod manu factum erat & datum pro eo, manupretium à manibus & pretio. Isid. lib. xi. Etymolog. cap. i. Abusiuè autem manus etiam ars vel artifex. Vnde manupretium dicimus, Hoc verbo Cato de Re rustic. cap. xiiii. vsus est & Plaut. in Menæchm. Cicero quoque iii. in Ver. orat. Tantum operis, ait, in ista locatione fuit, quantum " paucæ operæ fabrorum mercedis tulerunt & manupretii " machinæ. Quo in loco Asconius, manupretium dici ait, vbi " non tam materiæ ratio, quàm manus atque operis ducitur. Seneca Epist. 102. lib. xii. Secus in patriam reditus proponi- " mus, militiam & castrensium labore tarda manupretia. Pli- " nius lib. xxxiij. cap. xi. Nec copia tantum argenti fuerit vitę, " sed validius penè manupretium. Idem lib. xxxiiii. cap. vii. Numerum apparuisse defuncto eo, cùm thesaurum effregisset heres: solitum enim ex manupretio cuiusque signi denarios deponere aureos singulos. Et paulo post: Mercurio facto " in ciuitate Galliæ Aruernis per annos decem, HS. ccc. manu- " pretio. Idem lib. xxxv. cap. x. Manupretium eius tabulæ in " nummo aureo mensura accepit. Emendandus in hoc verbo " est Tertullia. in lib. de idololatr. cum ita scribit: Tot sunt ar- " tium venæ quod hominum concupiscentiæ: sed de mercedi- " bus & manus pretiis interest. Legendum enim vt in superioribus locis, Manupretiis. Sensus verborum obscurus non est. Hoc enim significat, plerumque pluris esse artificium atque formam operi artificis manu additam, quàm sit materia ipsa. Cuius rei exemplum est in §. si quis in aliena. Instit. de rer. diuis.

FINIS.

B. BRISSONII I. C. ET IN SVPREMA PARISIENSI CVRIA ADVOcati de ritu nuptiarum Liber ſingularis.

DICTVRVS de ritu nuptiarum, pauca de ſponſalibus quæ earum celebritatem antecedunt, præfabor. Fuit autem hoc in more priſcis temporibus poſitum, vt qui vxorem ducturus eſſet, ab eo vnde ducēda erat, eam in matrimonium datum iri ſtipularetur: idque qui nuptum daturus erat, ſponderet: qui contractus ſtipulationum, ſponſionumq; dicebatur ſponſalia. Hoc Seruium Sulpitium in libro de dotibus, Naratium Priſcum in libro de nuptiis tradidiſſe Gellius ſcriptum reliquit. a Quibus Vlpianus & Florentinus consentiunt, b qui ſponſalia quoque à ſpondendo dicta, & ſponſi, ſponſæque appellationem inde ductam credunt quod veteribus ſtipulari, & ſpondere vxores futuras moris eſſet. Varro lib. v. de lingua lat. pag. i. ſpondebatur pecunia, aut filia nuptiarum cauſa. Appellabatur & pecunia, & quæ deſponſa erat, ſpōſa. Quæ pecunia inter ſe cōtra ſpōſū rogata erat, dicta ſpōſio. Cui deſpōſa quod erat ſpōſus. Quo die ſponſum erat, ſponſalis. Qui ſpoponderat filiam, deſpondiſſe dicebatur. quod de ſpōte eius, id eſt volūtate exierat. Nō enim ſi volebat, dabat. quod ſpōſu erat alligatus. Nā in Comœdiis vides dici,

a lib. 4. noct. attic. cap. 4.
b. In l. 2. et l. 3. D. de ſponſalib. l. ſponſio D. de verb. ſignific.

Sponden tuam gnatam filio uxorem meo?

Quod tum & pretorium ius ad legem & cēſoriū iudiciū ad æquū æſtimabatur. Et paulo poſt, ita quiſquis dicit, in Tragœdia

Meminiſti te deſpondere mihi gnatam tuam?

Quod ſine ſponte ſua dixit, cum eo agi non poteſt ex ſponſu.

Donatus in Andr. ad ea verba,

Placuit despondi hic nuptiis dicius est dies.

Despondi, ait, ex veteri more quo spondebat etiam petitoris pater. Vnde sponsus & sponsa dicitur. Idem in Adelph. act. iiij. sc. vij.

-- vt adverb: m, quin iam rogans despondi.

Despondet, ait, puellam qui petit. Spondet à quo petitur. Nec clam me est, horum nominum originem a Græco fonte Verrium Flaccum idoneum auctorem deriuasse, qui, vt apud Sex. Pomp. legimus, sponsorum, & sponsarum nomen inde tractum existimabat, quod σπονδὰς interpositis rebus diuinis facerent. Sed à priore harum vocum notatione qui dissentiret præter vnum Verrium, præterea inueni neminem. Veteris certè moris quo prius illud etymon nititur, multa sunt in Plauti Comœdiis non obscura impressa vestigia. Sic enim ille in Aulularia Megadorum ab Euclione filiā stipulantem facit.

M. Quid nunc etiam mihi despondes filiam? E. Illis legibus.
Cum illa dote quam tibi dixi. M. sponden ergo? E. Spondeo.

In Trinummo quoque Lysiteles à Charmide ita stipulatur.

Sponden ergo tuam gnatam vxorem mihi? Ch. spondeo & mille auri
Philippum dotis? Et paulo post:
Isthac lege filiam tuam sponden mihi vxorem dari? Ch.
Spondeo. Ca. & ego spondeo idem hoc.

" Sed & in Curculione Phædrom' ita à milite stipulatur. Ph.
" *Spondésne miles mihi vxorem tuam. M. spondeo.*

" Inde Arnobius libro IIII. aduersus gentes fabulosa gen-
" tilium deorum coniugia ridens, Vxores, ait, Dij habent atque in coniugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis: habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas. Memini etiam idem ipsum Seruium grammaticum adnotare ad eum Virgilij versum qui est lib. x. AEnei.

Quid soceros legere & gremiis abducere pactas.

Nec verò à filiæ dumtaxat patre nuptum datum iri, sed & à patre viri ductum iri sponsio interponebatur, si modo Donato fides accommodanda est, qui Terentij verba ex prima Andriæ scæna ad eam rem expendit, quæ ita habent.

Hac fama impulsus Chremes

Vltro ad me venit, vnicam gnatam suam
Cum dote summa filio vxorem vt daret.
Placuit: despondi: hic nuptiis dictus est dies.

Ad constituenda plane sponsalia nudus consensus sufficiebat: nec quicquam intererat vtrum testatio interponeretur an aliquis sine scriptura sponderet. Denique & absenti absens per epistolam vel internuntium recte despondebatur. a In tabulas tamen vt plurimum sponsalitiæ conuentiones referebantur. Ex quo illud Iuuenal. b

a. L. sufficit L. in sponsalibus. D. de sponsalib.
b. Sat. 16.

Si tibi legitimis pactam iunctámque tabellis
Non es amaturus,

Tertullianus in libro de virginibus velandis. Hæ sunt tabellæ priores naturalium sponsaliorum & nuptiarum. Quæ tabulæ signatoriis eorum qui interfuerant, anulis obsignabantur. Vnde Iuuenalis de nuptiis contrahendis agens,

Veniet, ait, *cum signatoribus auspex.* Apuleius Apolog. II.
" Habes, Æmiliane, causam totam cur tabulæ nuptiales inter
" me & Pudentillam non in oppido sint sed in villa vrbana
" consignatę. In argumentum etiam contractorum sponsaliorum a sponso sponsæ arrhæ dabantur: quemadmodum ex Paulo lib. ij. sententiarum, & ex Gratiani, ac Valentiniani, aliorumque Imperatorum constitutionibus intelligimus. a Quin & anulus sponsæ pignoris loco mittebatur, quem pronubum Tertullianus in lib. de cultu fœminarum vocat, Aurum, inquiens, nulla norat præter vno digito quem sponsus oppignerasset pronubo anulo. Isidorus Hispalensis lib. xx. Etymolog. Fœminæ, ait, non vsæ sunt anulis nisi quos
" virgini sponsus miserat: neque amplius quam binos aureos
" in digitis habere solebant. Idem lib. ij. de diuin. offic. cap.
" xv. Quod in primis, ait, nuptiis, anulus à sponso sponsæ da-
" tur, fit nimirum vel propter mutuæ dilectionis signum, vel
" propter id magis vt eodem pignore eorum corda iungantur.
" Vnde & quarto anulus digito inseritur. Ideo quia in eo ve-
" na quædam vt fertur sanguinis ad cor vsque perueniat. Quā eandem rationem Gellius b & Macrob. c ex Appione & Ateio Capitone reddunt cur apud Romanos communi assensu receptum esset anulum in digito qui minimo vicinus est quem & medicinalem vocant, atque adeo manu pręcipue

a l. si quis offensam. D. de ritu nupt. l. Arrhas vltr. c. de sponsalib.
b cap. xxxi.
b lib. 10. cap. 10.
c lib. VII. cap. 13.

finiſtra geſtare. Nicolaus quoque Pontifex ad conſultatio-
» nem Bulgarorum reſcribes, vt eſt apud Gratianum. Et poſt-
» quam, ait, arris ſponſam ſibi ſponſus per digitum fidei anulo
» inſignitum deſponderit. Sed & hunc ipſum morem Iuuena-
Sat. 6. lis à me ſubiecti verſus indicant.

Conuentum tamen & pactum & ſponſalia noſtra
In l. ſi donat. *Tempeſtate paras, iamque à tonſore magiſtro*
vlt. § .D. de *Pecteris & digito pignus fortaſſe dediſti.*
donatio. int. vir.

His à Paulo relatam ſpeciem adiungamus licet in qua ſpõſũ alienum anulum ſponſæ muneri miſiſſe proponit. Ferreum vero anulum eũque ſine gemma ſponſæ mitti ætate ſua conſueuiſſe Plinius lib. xxxiij. Naturalis hiſtoriæ auctor eſt. Ceterum à qua ætate ſponſalia contrahi olim poterãt ex Modeſtino lib. 4. differentiarum liquet, cuius ipſamet verba ponam.[a]
a l. In ſponſalibus. 2. D. de ſponſ.
„ In ſponſalibus contrahendis ætas contrahentium definita
„ non eſt vt in matrimoniis. Quapropter à primordio ætatis
„ ſpõſalia effici poſſunt ſi modo id fieri ab vtraque perſona intelligitur: id eſt, ſi non ſint minores quam ſeptem annorum. Quæ verba certam nominatim ſponſalibus contrahẽdis præſcriptã ętatem non fuiſſe ſignificant. Quamquam quod ad legis Papiæ præmia attinet, ea demum ſponſalia probari admittique Auguſtus conſtituit, quibus biennio poſt iuſtæ, ac legitimæ nuptiæ accedere poſſent, vt proinde minores natu decem annorum virgines fruſtra ſponſæ haberentur. Cuius rei conſtituendæ cauſa fuit, quod ſponſaliorum obtentu quæ ad exitum, & effectum breui perduci per ſponſarum immaturam ætatem non poterant, legi fraudẽ fieri animaduertiſſet. Id quod ex Dione lib. LIIII. didici, cuius hæc ſunt verba. ὡς δ᾽ οὖν βρέφη τινὲς ἐγγυώμενοι τὰς μὲν τιμὰς τῶν γεγαμηκότων ἐκαρποῦντο τὸ δὲ ἔργον αὐτῶν οὐ παρείχοντο, προσέταξε μηδεμίαν ἐγγύην ἰσχύειν μεθ᾽ ἣν οὐ δὲ δυοῖν ἐτοῖν διελθόντοιν γαμήσουσι. τουτέστι δεκέτιν πάντως ἐγγυᾶσθαι τόν γε τι ἀπ᾽ αὐτῆς ἀπολαύσοντα. Δώδεκα γὰρ ταῖς κόραις ἐς τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πλήρη καθάπερ εἶπον νομίζεται. Quorum verborum ſententiam quia nec aſſecutus eſt, nec expreſſit interpres, ego in eorum gratiam quibus Græca lingua minus innoteſcit, in Latinum ea conuertam vt potero. Quoniam autem, ait Dio, quidam infantes puellas deſpondentes, præmiis quidem coniugum fruebantur, ceterum

terum effectum rei, & coniugum opus non præstabant, ea sponsalia vires nullas habere constituit, post quæ duobus transactis annis sponsa duci minime posset: Hoc est, vt omnino decenis virgo desponderetur, si quidem ex ea commodi quid capere sponsus vellet. Duodecimo nanque anno virgo matura viro & nubilis, vt iam ante dixi, existimatur. Quam eamdem Augusti constitutionem Zonaras totidem prope verbis retulit, quæ sunt ab eius interprete, ne quem debita laude fraudē, fidelius, ac planius quàm ab illo altero, viro alioquin erudito, ac bene de Græcis merito, reddita. Atque hoc nimirum est, quod breuiter, ac strictim more suo Trāquillus in eiusdem principis vita scribit his verbis.[a] Cunque etiam immaturitate sponsarum, & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi sentiret, tempus sponsas habēdi coarctauit. Quò procul dubio pertinet Caij[b] locus quem ex eius lib. I. ad. l. Iuliam & Papiam Pandectarum concinnatores delibarunt. In eo ita est. Sæpe iustæ ac necessariæ " causæ non solum annum vel biennium, sed etiam triennium " aut quadriennium & vlterius trahunt sponsalia: veluti va- " letudo sponsi, sponsæue vel mortes parentum aut capitalia " crimina aut longiores peregrinationes quæ ex necessitate " fiunt. Itaque à septimo anno vtiliter quidem contrahi sponsalia potuisse non dubium est: verum eorum demum sponsaliorum nomine quę cum virginibus decem ad minus annos natis contraherentur ex lege Papia commodi lucriue quid percipi poterat.

a. cap. xxxiiij.

b. l. pen. D. de sponsalib.

Hæc de spōsalibus quę viā ad explicāda nuptiarū solēnia muniant breuiter prædicēda cēsui. Spōsalibus factis, cōsequens erat nuptiis diē dici. Nec vero temerè & è re nata, ac quolibet, prout incidisset, die nubebāt: sed in ea re nō leuē mēsiū, temporum ac dierum delectum habebant. Nouarum certè Calendarum posteros omnes dies à nuptiis habitos alienos, Sex. Pomp. libro. XII. scribit. Mensis item Maius, quemadmodum Plutarchus ἐν αἰτίαις testatur, nuptiis infaustus & inauspicatus existimabatur. Ex quo illud olim vulgi sermone tritū prouerbiū, mēse Maio nubūt malę. Ouidius lib. V. fastor.

Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora, quæ nupsit, nec diuturna fuit.

Hac quoque de causa, si te prouerbia tangunt,
Mense malas Maio nubere vulgus ait.

Dies etiam alios qui nuptiis contrahendis vitabantur Macrobius libro. I cap.xv. recenset: cuius ipsamet verba subiicere satius fuerit. Nec hoc pretermiserim, ait, quod nuptiis copulandis Calendas, Nonas & Idus religiosas, id est deuitandas censuerunt. Hi enim dies præter Nonas feriati sunt: feriis autem vim cuique fieri piaculare est. Ideo tunc vitantur nuptiæ in quibus fieri vis virginibus videtur. Sed Verrium Flaccum iuris Pontificij peritissimum dicere solitum refert Varro, quia feriis tergere veteres fossas liceret, nouas facere ius non esset, ideo magis viduis quam virginibus idoneas esse ferias ad nubendum. Subiiciet aliquis: Cur ergo Nonis, si feriatus dies nō est, prohibetur celebritas nuptiarum? Huius quoque rei in aperto causa est. Nam primus nuptiarum dies verecundiæ datur: postridie autem, nuptam in domo viri, dominium incipere oportet adipisci, & rem diuinam facere. Omnes autem postriduani dies, seu post Calendas seu post Nonas Idúsve, ex æquo atri sunt. Ideo & Nonas inhabiles nuptiis esse dixerunt, ne nupta aut posterò die auspicaretur libertatem vxoriam, aut atro immolaret quo nefas est sacra celebrari. Idem etiam auctor cap. xvj. eiusdem libri ex Varrone. Mundus ait, cum patet, deorū tristium atque inferûm quasi ianua patet. Propterea non modo prælium committi, verum etiam delectum rei militaris causa habere ac militem proficisci, nauem soluere, vxorem liberûm querendorum causa ducere religiosum est. Parentalibus quoque quæ mense Februario celebrabantur coniugium propter infaustos & ominosos eiusmodi dies, vitandum esse, Ouidius libro.ij. fastorum præcipit his versibus.

Postea præteriti tumulis redduntur honores
Prodigiísque venit funeribúsque modus.
Dum tamen hæc fiunt viduæ cessate puellæ
Expectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurua comas.
Conde tuas Hymenæe faces & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mœsta sepulchra faces.

Pomponij tamē nuptias pridiè Idus Februar. celebratas Cicero lib. II. Epist. ad Q. frat. Epist. II. indicat. Sed & Saliorum diebus festis abstinendum nuptiis idem Ouidius suadet lib. III. Fastor.

Nubere, ait, si qua volet quamuis properabitis ambo,
Differ, habent paruæ commoda magna moræ.

Contrà coniugio aptissimum esse id tempus quod Idus Iunias sequitur, ostendit lib. VI. quo loco filiæ diuturnam salutem precatus ita concludit.

Hanc ego cum vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam, quæque cauenda forent.
Tunc mihi post longas monstratur Iunius idus
Vtilis & nuptis vtilis esse viris.
Primaque pars huius thalamis aliena reperta est,
Nam mihi sic coniunx sancta dialis ait.

Atque ad hunc superstitiosum dierum nuptialium delectum referenda suspicor hæc Ciceronis ex lib. II. Epist. ad Q. fratrem verba. "De nostra Tullia tui me hercule amantissima spero cum Crassipede nos confecisse. Dies erant duo qui post Latinas habentur religiosi. Ceterum confectum est." Iam vbi nuptiis dictus dies venerat, maxima circa comandam ornandamque sponsam cura impendebatur. Quod priusquam exponam, rectè atque ordine facturum me puto, si vsurpatas ab antiquis matrimoniorum contrahendorum formas aperiam. Tribus autem generibus vxores quæsitas inuenio. Vsu, farre, coemptione. Arnobius lib. IIII. aduersus gentes. "Vxores enim dij habent atque in coniugalia fœdera veniunt conditionibus ante quæsitis: vsu farre & coëmptione genialis lectuli sacramenta conducunt. At Cicero Topicis duo tantum vxorum genera facit. Si ita, inquit, Fabiæ pecunia legata est à viro, si ea vxor materfa. esset, si in manum viri non conuenerat nihil debetur. Genus est enim vxor: Eius duæ formæ: vna matrum familiarum: hæ sunt quæ in manum conuenerunt: Altera earum quæ tantummodo vxores habentur." Sed enim discidium hoc facile Vlpiani interuētu componitur: qui in manum tam farre quàm coemptione conueniri in Institutionum fragmentis docet. Itaque Boetius ad illum Ciceronis locum, totidem quot

Arnobius vxorum quærendarum modos constituit. Et cōfarreationem quidem solis Pontificibus conuenisse scribit. Tametsi à primo vrbis ortu id ritus genus institutum omnibusque peræquè nuptiis far interuenisse Dionysius Halicarnasseus indicare videtur, cum ita scribit. [a] ἐκάλουν τε τοὺς ἱεροὺς οἱ παλαιοὶ γάμους ῥωμαϊκῇ προσηγορίᾳ περιλαμβάνοντες φαῤῥακία, ἐπὶ τῆς κοινωνίας τοῦ φαῤῥὸς ὃ καλοῦμεν ἡμεῖς ζέαν. Idem subiicit non nuptiis modo sed & sacrificiis omnibus far à priscis Latinis adhibitum. Quod & Arnobius lib. II. aduersus

a. lib. 2. Antiquit.

" gentes testatur. Tus, ait, neque ipse Romulus aut religioni-
" bus artifex in comminiscendis Numa aut esse sciuit aut nasci:
" vt pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum sol-
" lennium munia. Ouidius lib. I. fastor.

Ante Deos homini quod conciliare valeret
Far erat, & puri lucidi mica salis.
Nondum pertulerat lachrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hospita nauis aquas.
Tura nec Euphrates, nec miserat India costum
Nec fuerant rubri cognita fila croci.

Asconius in III. contra Verrem oratio. Nefarium est, quod
" sacra polluit, farre pio solita celebrari. Incruenta quippe, & à sanguine pura prisca sacrificia ex Numæ instituto erant, atq; vt Plutarchus loquitur, ἀναίμακτοι αἵ γε πολλαὶ δι' ἀλφίτου καὶ σπονδῆς καὶ τῶν εὐτελεστάτων πεποιημέναι. Quinetiam inter eius instituta idem auctor hoc refert, μὴ θύειν ἄνευ ἀλφίτου. Valer. Max. lib. II. Memorabil. cap. I. de priscis Romanis agens. E-
" rant adeo continentiæ attenti, vt frequentior apud eos pul-
" tis vsus, quàm panis esset. Ideoque in sacrificiis Mola, quæ
" vocabatur ex farre & sale constat. Mola quippe secundum Sexti Pomp. interpretationem nihil aliud erat, quàm far tostum & sale aspersum: & quod eo molito hostiæ aspergerentur, inde Molæ nomen inuenit. Virgilius lib. II. Æneid.

Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ.

" Vbi Seruius. Salsæ fruges ait, Sal & far quod dicitur Mola
" salsa: qua & frons victimæ & foci aspergebantur, & cultri.
" Fit autē de horna fruge, & horno sale. Vt Horatius. Et horna fruge. Quę Horatij verba habētur lib. III. Carmin. Od. XXIII. Ex quo eodē loco duos etiā versus proferā, in quibus ita est.

Mollibit auersos penates
Farre pio, & saliente mica.
Quo genere loquendi etiã Tibullus vtitur Elegia.iiii.lib.iii.
Et vanum, ait, metuens hominum genus, omina (Sic enim lego) *noctis*
Farre pio placant, & saliente sale.
Simili modo Ouidius lib.iiii. Fastor.
Farra Deæ, micæque licet salientis honorem
Detis & in veteres turea grana focos.
At Virgilius, non in secundo dumtaxat Aeneid. vnde paulò ante versum retuli, sed & lib. xii. fruges salsas dixit.
Dant fruges, inquit, *manibus salsas.* Quod Seruius interpretatur, far & sal: quibus rebus, ait, & cultri aspergebantur & victimæ. Quo exemplo, Arnobius lib. iii. aduersus gentes: Nisi tura, inquit, & salsas fruges Dii acceperint, nequeunt bene " facere. Eáque de causa Mola salsa dicebatur. Horat. lib. iii " Sermo. Sat. iii. "
Ante aras, spargísque mola caput improbe salsa.
Et Martialis alicubi.
Consumpsi salsásque molas, & turis aceruos.
Ouidius farra mixta sale dixit lib. i. fastor. in his versibus
Inde vocor Ianus, cui cum Cereale sacerdos
Imponit libum, farraque mixta sale.
Far planè genus esse frumenti optimi Seruius in lib. i. Georgii adnotat. Cæterum vt Latini, farreas Molas, ita Græc. κριθινὰς οὐλὰς sacrificiis suis adhibebant, quemadmodum est ab Eustatio accuratè copioséque expositum in lib. i. Iliad. qui ex Dione οὐλὰς esse docet, τὸ μίγμα τὸ ἐκ κριθῆς καὶ ἁλῶν. Meminit & Suidas in verbo οὐλοθυτεῖν. Quo in vocabulo mendũ esse apud Moschopul. in lib. περὶ σχεδῶν admoneo: Vbi ὀλαὶ pro οὐλαὶ legitur. Quem errorem ipsa satis definitio cõuincit. Sic enim explicat: αἱ ἅλσι μεμιγμέναι κριθαὶ καὶ τοῖς θύμασιν ἐπιβαλλόμεναι. Sed vt ad propositum tandem aliquãdo redeat oratio, consentanea his quæ de farris vsu diximus, Plinius proprius ad nostrum argumentũ accedens lib. xviii. " Natural. histor. cap. iii. tradit. Quin & in sacris, ait, nihil re- " ligiosius confarreationis vinculo erat: nouæque nuptæ far- " reum præferebant. Vnde Apuleius lib. x. de Asino aur. ma-

trimonium confarreare dixit. Nec verò vxorem duci olim nisi sacrificiis peractis potuisse Seruius notat in. iii. Aeneid. ad eum versum.
Conn b ıs aruisque nouis operata iuuentus.
Inde Seneca in Octauia Actu iiii.
Vidit attonitus tuam
Formam Senatus, tura cum superis dares
Sacrásque gratoss ergeres aras mero
Velata summum sl m neo tenui caput.
Et ipse lateri iunctus atque hærens tuo
Sublimis inter ciuium læta omina
Incessit, habitu atque ore lætitiam gerens
Princeps superbo. Talis emersam freto
Spumante Peleus coniugem accepit Tethyn.
Valerius Flacc. lib. viii. Argonautic.
Inde vbi sacrificas cum coniuge venit ad aras
Aesonides, vnaque adeunt: pariterque precari
Incipiunt, ignem Pollux vndamque iugalem
Prætulit, vt dextrum pariter vertantur in orbem
Et mox.
Primus & ecce fero, quatióque hanc lampada vestro
Coniugio: primus celebro dotalia sacra.
Planè apud Hetruscos &. Priscos Latinos in coniunctione nuptiali à nouo marito & à noua nupta primum porcum immolari consueuisse Varro lib. ii. de re Rustic. cap. iiii. auctor est. Vt vt sit, quo ritu olim confarreatio perageretur vnus Vlpianus, ac ne is planè quidem explicat in fragmentis Titulorum ex eius corpore excerptorum, cum ita scribit.
" Farre conuenitur in manum certis verbis, & testibus decem
" præsentibus & sollemni sacrificio facto, in quo panis far-
" reus adhibetur. Quemadmodum autem cōfarreatione iungebātur, ita diffarreatione coniugia dirimebantur. Sex. Pōp.
" lib. iiii. Diffarreatio genus erat sacrificii quo inter virum &
" mulierem fiebat dissolutio: dicta diffarreatio, quod fieret
" farreo libo adhibito. Sed omissam suo iam tempore confarreandi adsuetudinem. aut certe inter paucos retētam Tiberius Imp. apud Cornel. Tacit. libro iiii. narrat. Igitur ad alia duo matrimoniorum genera, coëmptione & vsu con-

tracta gradum faciamus. Prioris Cicero in Oratio. pro Murena meminit. Concipi vero certis verbis coemptionem solitam idem indicat lib. 1. de Orato. cum ait. Nam neque il- "
lud est mirandum, qui quibus verbis coëmptio fiat, nesciat, "
eũdem eius mulieris quæ coëmptionẽ fecerit causam posse "
defendere. De eius certe formula totoque adeo coëmptionis ritu quod proferam aliud nihil habeo, prӕterquam quod est à Boethio lib. 11. commentarior. ad Topica Cicero. ex Vlpiani institutionibus relatum. Boethio certe in ipsis lapsæ iam Latinitatis ruinis & vt ita dicam parietinis nato, vt & aliis eiusdem seculi scriptoribus tantum tribuo quantum eum ex veterum libris quibus nos iniurio temporum orbati sumus, hausisse video. Nec enim sum nescius eum in illis suis Topicorum commentariis (quorum sex dumtaxat libri ex septem quos se conscripsisse ipsemet lib. 1. de differentiis topic. testatur, ad nos salui peruenerunt) in crassos ac supinos errores esse prolapsum. Quale illud est, quod ad explicationem eius loci adfert quo Cicero legem iubere scribit, Asiduo, asiduum vindicem esse. Quod iussum legi Aeliæ Sentiæ (etenim Sanctiæ contra eius vt existimo, mentem libri impressi scriptum habent, quando nulla eius nominis lex in veterum monumentis, quod sciam, extat) attribuit: cuius vtique nec interpres esse Sextus Ælius, ex quo interpretationem asidui Cicero producit, potuit: ac nec ipse Tullius ex ea lege, quæ post eius demum obitum imperante Augusto in aliam penitus sententiam lata est, exemplum nisi fatidico spiritu & mentis afflatu proferre. Qui error eò perniciosior est, quod ex eius commentariis in ordinem verborum Ciceronis manauit. Etenim imperitus quidam, legis verbum, quod erat à Cicerone de lege xii. tabularum sentiente vt ex Gellio patet, [a] simpliciter sicut & alio eiusdem libri loco [b] prolatum, explanare volens, margini ex Boëtii commentariis interpretationem vitiosam adscripsit. quæ deinde in contextum irrepsit. Quod vitium altissimas dein de radices in omnibus codicibus egit. Similiter & illud apud Boethium nota dignum est quod maximæ capitis diminutionis exemplum à deportatione sumit: [c] qua tamẽ cõstat libertate salua solam ciuitatem amitti. Nam deportati

[a] lib. xvi. Noct. Attic. cap. x.
[b] in loco ex comparatione.
[c] lib. 11. commentar. in locum. Ab adiuncto.

quidem ἀπόλιδες fiunt & ad peregrinitatem rediguntur, ceterum libertatem naturalem & ea omnia quæ meri sunt gentium iuris retinent.[a] Et quamuis erroris eius Callistratus aut forte Callistrati titulo Tribonianus patronus aduocari possit,[b] non eo tamen ab instituta accusatione desistam: In eáque subscriptores melioris notæ veteres omnes consultos habebo: qui mediæ capitis diminutioni, aquæ & ignis interdictionem & eam quæ in eius locum successit deportationem subiiciunt:[c] Verùm hæc nihil ad huius libri institutum pertinent: ad quod vt redeam, ipsamet Boetii de coemptionis ritu verba recensebo. Coëmptio, ait, certis solemnitatibus peragebatur: & se in Coëmendo (perperam enim in impressis codicibus, communicando legitur) inuicem interrogabant vir ita, An sibi mulier materfa. esse vellet: illa respondebat, velle, item mulier interrogabat, An vir sibi paterfa. esse vellet, ille respondebat, velle: itaque mulier in viri conueniebat manum, & vocabantur hæ nuptiæ per coëmptionem & erat mulier materfa. viro loco filiæ. Hæc ille: quæ totidem verbis refert Seruius in lib. IIII. Aeneid. occasione sumpta ex illis Virgilii verbis,

Repulit, & dominum Aeneam in regna recepit.

Idem ad eum ex lib. I. Georgicor. versum,

Teque sibi generum Tethys emat omnibus vndis.

" Quod ait, emat, inquit ille, ad antiquum nuptiarum perti-
" net ritum: quo se maritus & vxor inuicem emebant: sicut
" habemus in iure. Quo etiam Virgilium respexisse Nonius Marcell. in lib. de propriet. sermon. antiq. existimat: cui interpretationi & Isidorus libro. V. Etymolog. accedit. Coëmptionem porro imaginariis venditionibus peractam vt & adoptionem, credibile est: in eaque facienda nummos aliquot dicis causa interuenisse: Id enim in aliis quoque legitimis actibus obseruabatur, in quibus specie tenus Mancipationum sollemnia repræsentanda erant. Cuius moris vestigia à nobis in nostris nuptiis vsurpari quidam opinantur, tredecim nummorum numeratione. Ego ex Barbararum coloniarum, quæ in Gallias ex Germania migrarunt, ferróque & armis sedes occuparunt, moribus id in vsu mansisse potius crediderim. Tam enim Burgundiones quàm Saxones vxo-

a l. quidam D. de pœnis l. si deportatus. §. 1. D. de legat. 3. l. Neque §. 1. D. de milit. test.
b l. cognitionum. § 1 vlt. D. de var. & extraord.
c Vlpia. in fragment. Tit. xi.

nes vxores suas à parentibus vel tutoribus earum emisse obseruaui: idque ex capite seu titulo XIII & XXXIIII. earum legum quas Gundobaldus Rex Burgundionibus scripsit, & ex Tit. VI. IX. & XVII. legum Saxonicarum patet. Idque pretium nuptiale appellatur in Tit. XII. legum Burgundio. & erat CCC. Solidorum ex Saxonum legibus: vt caput VI. docet. Enimuero quæ coëmptione in manum conuenerant vxores, propriè matrum fa. nomine exaudiebantur vt Cicero Topicis auctor est. Gellius lib. XVIII. cap. VI. Illud « cõpendio probabilius est, quod idonei vocum antiquarum « enarratores tradiderunt, matronam dictam esse propriè quæ « in matrimonium cum viro conuenisset, quoad in eo matri- « monio maneret: etiam si sibi liberi nondum nati forent, di- « ctamque esse ita, à matris nomine, non adepto iam, sed cum « spe & omine mox adipiscendo: vnde ipsum quoque ma- « trimonium dicitur. Matrem autem familias appellatam esse « eam quæ esset in mariti manu, mancipióque, aut in e- « ius, in cuius maritus manu mancipioque esset: quoniam « non in matrimonium tantum sed in familiam quoque mari- « ti, & in sui heredis locum venisset. Eadem harum vocum « differentia à Seruio traditur in lib. XI. Aeneid. quem quisquis cum Gellio contulerit, non dubitabit mancipi pro mancipio semel atque iterum mendosè apud illum scriptum esse. Matrisfa vero ex Vlpiani lib. LIIII. aut. LIX. ad edictum (variant enim codices) nobis a Triboniano proposita definitio, verbis in quorum interpretatione versabatur, aptata fuit, non ad prisci sermonis proprietatem relata. Illud conniuentibus oculis prætereundum non est, quod in viri familiam venisse Gellius scribit, eam quæ in manum conuenirer. Nam huius in alienam familiam transitus ratione, capite minui censebatur: indéque in minimis capitis minutionibus conuentio in manũ numeratur. Vlpianus Tit. XI. fragmentor. Minima capitis diminutio est per quam & ciuitate « & libertate salua status dumtaxat hominis mutatur: Quod « fit adoptione & in manum conuentione. Hinc illustratur « quod Cicero in Topicis scribit, si ea mulier testamentum « fecit quæ se capite nunquam diminuit non videtur ex edicto Prætoris secundum eas tabulas possessio dari. Vbi Boë-

thius. Mulieres, ait, antiquo iure tutela perpetua continebat. Recedebant vero à tutoris potestate quæ in manum cōuenissent. Itaque fiebat eis prioris status permutatio, & erat capite deminuta quæ viri conuenisset in manum. Quod autem de perpetua mulierum tutela Boëth. notat, Vlpiani verbis comprobatur quæ sub Tit. xi. fragmentor. sunt posita. Sic autem habent. Tutores constituuntur tā masculis quàm feminis: sed masculis quidem impuberibus dumtaxat, propter ætatis infirmitatem: feminis autem tam impuberibus quàm puberibus & propter sexus infirmitatem, & propter forensium rerum ignorantiam. Cicero pro Muræna. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii maiores in tutorum potestate esse voluerunt. Quamobrem Augustum memoriæ proditum est summi beneficii loco & iure singulari Liuiæ vxori & Octauiæ sorori cōcessisse τὰ σφέτερα ἄνευ κυρίου τινὸς διοικεῖν. Hæc enim sunt Dionis lib. xlix. hoc ipsum referentis verba: quæ indultum eis fuisse sine tutore auctore res suas gerere significant. Quod & Vestalibus licuisse Plutarch. in Numa docet qui inter reliqua earum virginum priuilegia hoc recenset καὶ τ' ἄλλα πράττειν ἄνευ προστάτου διάγουσας ὥσπερ τριπαίδας. Sed enim inter mulierum ac pupillorum tutores lata erat differentia. Nam pupillorum quidem pupillarumque tutores vt Vlpia. in Fragment. explicat [a] & negotia gerebant & auctoritatem interponebant. Mulierum autem tutores auctoritatem dumtaxat interponebant. Idcirco Cato apud Liuium [b] maiores voluisse dicebat, nullam ne priuatam quidē rem feminas sine auctore agere. Cui L. Valerius apud eumdem respondens. Numquam, inquit, saluis suis exuitur seruitus muliebris, & ipsæ libertatem quam viduitas & orbitas facit, detestantur. Vnde Apuleius Apolog. pro se ipso secunda emptionis à Pudentilla factæ testem vt auctorem, eius tutorem Cassium Longinum vocat. Adest ait, etiam tutor auctor mulieris, vir grauissimus & sanctissimus, omni cum honore mihi nominandus Cassius Longinus. Quære Maxime, cuius emptionis auctor fuerit? Ex illa vero tutorū differentia Cicero Topicis argumentum à dissimili ita ducit. Non quemadmodum quod mulieri debeas recte ipsi mulieri sine tutore auctore soluas, ita quod aut pu-

a Tit. xi.

b. lib. xliiij.

pillæ aut pupillo debeas rectè possis eodem modo soluere. "
VbiBoethius (nam quæ ab eo bene dicta sunt non reticeo)
Mulieres, ait, antiquitus perpetua tutela tenebantur: pupilli "
item sub tutoribus agunt. sed mulieribus si quid debitum "
fuisset sine tutoris auctoritate poterat solui: pupillis vero "
minimè. Et mox. Illæ perpetua tutela etiã prouecta iam ætate "
continentur: Illorum tutelæ certus annorum numerus "
terminum facit. Differt enim persona mulierum à persona "
pupillorum vel in eo quod pupilli non perpetua reguntur "
tutela: mulieres vero perpetua. Vel quod pupillus nullum "
suæ etiam ministrandæ vtilitatis iudicium habere potest. "
cum sit aliquis mulieribus etsi non firmus, in explicanda familiaris "
rei vtilitate delectus. Hactenus ille. Nec tamẽ quod "
tutore minime auctore mulier promiserat, magis debebatur "
quàm quod pupillus sine tutoris auctoritate spopondisset,
vt ex Cicerone pro Cæcinna liquet: nec mulier quæ in tutela
erat, manumittendi ius potius quàm pupillus habebat, quod
est ab Vlpiano Tit. I. traditum. Præterea pupillos suos adrogandos
dare tutores non poterant, quòd tantam esse, auctoribus
in pupillos auctoritatem potestatemque fas veteres nõ
ducerent, vt caput liberum fidei suæ commissum alienæ ditioni
subiicerent. quemadmodum ex Gellio didicimus. a At
mulieri in manum conuenienti tutores vtiliter auctoritatem
præstabant licet ex conuentione in manum eadem propè
quæ ex adrogatione effecta sequerentur. Et vero sine tutorum
auctoritate non potuisse in manum mulierem conuenire
Cicero pro Flacco satis dilucidè ostendit. Inde idem
pro Cluentio, Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis
auctoribus. Quod autem ea tutela legitima tam à Cicerone
quàm ab Vlpiano appellatur, indicio est lege XII. Tab. introductam.
Id quod verum puto & ex Atheniensium legibus
hoc caput à Decemuiris descriptum quando quidem &
apud illos mulieres tutorum quos κυρίους vocabant potestate
continerentur vt est à Budæo in linguæ Græcæ Commentar.
obseruatũ. Iani propinquorũ tutela conuentione in manum
mulieres liberatas, vt Boethius supra citato loco perstrinxit,
mirum non est: cum eo modo capite minuerentur,
statumque ac familiam mutarẽt & in virorum mancipium

a Lib. v. Cap. xix.

redigerentur, in quorum manu eas fuisse etiam Cato in eo quem paulo ante produxi Liuii loco dicit. Quinetiam in manum conueniendo mulierem cum capite fortunas quoque suas in familiam ac domum mariti transtulisse sciendum est. Nam vt Cicero Topicis, in loco ab effectis scribit: cum mulier viro in manum conueniebat, omnia quæ eius fuerant, viri fiebant dotis nomine. Vnde Boetius vxore defuncta quæ in manum conuenisset, bona eius ad virum pertinuisse bene colligit. Quapropter Lucio Flacco inter cetera vitio datum legimus, quod Valeriæ gentilis suæ quæ Androni Sestilio nupsisse dicebatur, bona auertisset, eiusque hereditate virum ad quem ea legitimo iure pertinebat, fraudasset. Quod crimen Cicero in ea quam pro eo reo dixit, oratione ita refellit, vt in manum Sestilio conuenisse Valeriam neget. Idque argumento ab enumeratione partium ducto probat. Nam si in manum conuenisse dicatur, vtique vsu vel coëmptione cõuenisse eã necesse fuisse dicit, cũ hę solæ essent inter eius conditionis & qualitatis personas vsitatæ matrimoniorũ species. Atqui vsu cõuenire in manũ nõ potuisse docet hac ex iure sumpta ratione quod de tutela legitima qua maiorum more Valeria continebatur, nihil potuerit absque tutorũ omnium auctoritate vsu diminui: vt proinde ei non licuerit tutoribus minime auctoribus factis alienæ se ditioni subiicere, in alienãque familiã se & bona sua transferre. A quo non abhorret quod idem lib. 1. Epist. ad
„ Attic. ita scribit. De Tadiana re mecũ Tadius locutus est, te
„ ita scripsisse nihil esse iam quod laborares: quoniã hereditas
„ vsu capta est. Id mirabamur, te ignorare de tutela legitima,
„ in qua dicitur esse puella, nihil vsucapi posse. Diminuendi enim verbo in hanc sententiam vsos veteres apparet ex Senatusconsulto de petitione hereditatis.a Coëmptione verò, quod erat alterum partitionis membrum, in manum peræque conuenire non potuisse Valeriam contendit, cum ei rei auctoritatem Flaccus qui è tutorum numero erat non præstitisset: Ac per hoc sine eo auctore dicta ab ea dote nihil actum esse ibidẽ adseuerat. Quod & in Oratione pro Cæcinna pro certo ac constanti ponit. Ideóque ex lege Iulia de maritandis ordinibus à Prætore vrbano tutor mulieri vir-

a l. Item veniunt §. Item placere & l. De perditum D. de petitio. hered.

giniue quæ ex ea ipsa lege nubebat, ad dotem dandam dicendam, promittendámue dabatur, si legitimum tutorem ea non haberet: vt est ab Vlpiano memoriæ proditum. b Atque hæc erant iura quæ sibi conuentionis in manum beneficio maritus in bonis vxoris vindicabat. Vice versa etiam vxor eorum item & bonorum & sacrorum cum viro socia ac particeps fiebat. Qua communione merito existimauit Romulus inter se arctiori vinculo colligatos coniuges iri. Est enim huius rei origo ab eius legibus arcessenda quibus hoc comprehensum fuisse Dionys. Halicar. auctor est a γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν. Vnde mirum non est, Nuptias a Modestino b diuini & humani iuris communctionem definiri, & a Gordiano c vxorem rei diuinæ & humanæ sociam appellari. Quapropter nec turpe iudicium ob res viro substractas aduersus eam dari prudentibus placuit d quam societas vitæ quodammodo dominam faceret. Hinc quoque forte ab initio moribus comparatum fuit vt ne inter coniuges factæ donationes valerent: Quod & aliis postea rationibus vtile visum est. Quas inter etiam hanc Plutharch. ἐν αἰτίοις commemorat ὅτι δεῖ κοινὰ καὶ γυναικῶν εἶναι τὰ ἀνδρῶν καὶ ἀνδράσι τὰ γυναικῶν. Ex iisdem etiam Romuli legibus descendisse Halicarnasseus admonet quod vsu apud Rom. inualit vt viro mortuo superstes vxor non aliter ac patri filia heres existeret: & quidem eo sine liberis defuncto totam ex asse hereditatem sibi vindicaret: liberis vero relictis æquam cum iis partem ferret. Ac plane suorum heredum loco ac numero eiusmodi vxores habitas & perinde atque illos heredes vel exheredes scribi debuisse, ne præteritione earum testamenta vitiarentur, ex veteri iurisprudētia intelligimus. Sic enim Vlpianus in fragmentis titulorum ex eius corpore excerptorum, scribit a Sui heredes instituendi sunt vel exheredandi. Sui autem heredes sunt, liberi quos in potestate habemus, tam naturales quàm adoptiui. Item vxor quæ in manu est, & nurus quæ in manu est filij quem in potestate habemus. Et aliàs b Adgnascitur suus heres, aut adgnascendo, aut adoptando, aut in manum conueniendo, aut in locum sui heredis succedendo. Quod nec Seruium latuit, qui in. VII. Æ-

b Tit. xi.

a lib. ij.

b in L. i. D. de ritu nupt.

c in L. Aduersus C. de crim. expil. hered.

d L. i. D. rer. amot.

a Tit. xxij.

b Ti. xxij.

neid. ad illum Virgilij versum.

Quæsitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quæritur heres.

" De iure, ait, traxit vt non generum, sed heredem diceret. Nā
" per coemptionem facto matrimonio sibi inuicem succedebant. His consequens est, à muliere herede scripta viro cui ea in manum conuenisset inutiliter legatum relictum fuisse: vt & iuris ipsa ratio dictat. & ex eo inferri potest, quòd Vlpianus Tit. XXIII. fragmentor. definit, his verbis. Ei cuius in potestate manu mancipioque est heres scriptus, legari non potest. Quinetiam mancipari eam à viro potuisse argumento est quod Sex. Pomp. ex Ælio Gallo scribit, Remancipatam eam dictam quæ mancipata erat ab eo cui in manum cōuenerat. Itaque in eo quod ab Vlpiano scriptum est a eum
a Tit. xi. qui liberum caput mancipatum sibi vel à parēte vel à coemptore manumisit, per similitudinem patroni tutorem fiduciarium effici, videndum est ne ad maritum coemptoris nomen, potius quam ad alium quenquam referendum sit. Ex his satis patere arbitror quid esset, in manum conuenire. Quod loquendi genus ab Apuleio lib. VIII. non semel est vsurpatum. Cæterum de vxorum vsu quærendarum forma nihil à quoquam veterum auctorum literis proditum reperi. Tentari quidem certè non incolorate posset, nec verò quid obstet præter iuris rationem qua Flacci partes tueri Cicero nisus est, video, Vsu partas ac quæsitas vxores eas fuisse quæ matrimonij causa in domum absque coemptionis sollemnibus deductæ toto vertente anno cum viro adsuessent: quæ post id temporis ex XII. Tab. in manu mancipióque viri fuerint quasi vsu id est possessione viro mancipatæ. Vsum enim pro possessione veteres dicebant. Et ita XII. Tab. scriptum erat. Annuus vsus esto. Vnde & vsucapionis nomen. Vsum vero legitimum fuisse dominiorum quærendorum & adipiscendorum modū nemo ambigit. Et vel iuris ciuilis auctoribus tacentibus eius rei vnus locupletissimus esset testis Horatius cum ait,

Si proprium est quod quis libra mercatur & ære,
Quædam (si credis consultis) mancipat vsus.

Proinde quemadmodum res mobiles vel se mouentes anno

possessae, possessoris ex iure Quiritium fiebant: ita mulierem quę cum viro vnà matrimonij causa anno integro morata esset, ei vxorem cum re & effectu partâ conciliatamque fuisse suspicari possumus. Probabile hoc facit, quod annui huius vsus interrumpēdi interpellandiq; gratia trinoctio perfecto à viro vxorem abnoctare lex.XII. Tab. iubebat. Hoc enim de vsurpatione vxorum id est vsus earum interruptione ex Q. Mutio Scaeuola Gellius[a] & ab eo mutuatus Macrobius[b] prodiderunt. Cuius vsurpationis quae fuisset vtilitas non video nisi in manum & mancipium viri per annuam possessionem mulier transitura fuisset. Quorsum enim, quaeso, de vsurpatione annui vxorum vsus lege cautum fuisset, si non eiusmodi vsu aliquid viro praeter nudum matrimonij nomen accessisset? Nam ad vxoris inane consortium (id est conuentionis in manum viribus destitutum) consequēdum annū expectari nihil attinebat, quod mero consensu, mutuáque voluntate protinus coniuges nanciscebantur. Necesse est igitur amplius aliquid annuo vsu maritum nactum ac consecutum fuisse. Quae res existimandi copiam praebet, vt, quemadmodū seruus venditus & traditus neque tamen emptori mancipatus, nec in iure cessus, nec ab ipso anno possessus in bonis tantum eius erat, non autem, quo ad horum quid interuenisset, ex iure Quiritium eius fiebat. Sic quę nec farre nec coemptione in manum conuenisset, sed in domum duntaxat pro vxore deducta esset mulier, vxor quidem habebatur: caeterum non ante in manum viri conuenisse censebatur, quàm apud eum annum nulla trinoctij absentia interposita impleuisset. Transacta vero annua dierum vsu viro quaesita vxor iudicabatur pro cóque erat ac si in manum sollēnibus verbis cōuenisset, vtpote vsu ac possessione, quod sollemnitati defuerat, supplente. Sed hęc vt sunt in coniectura posita & à me inuestigandi tantum, non etiam adfirmandi gratia proposita ita a lectoribus accipi & aequi bonique consuli velim. Liberum enim suum cuique dę his iudicium, immo vero liberam suspicionem relinquo. Ad eam certè vxorū vsu quaesitarū speciē Plautus siue quis alius argumenti Amphitryonis auctor est, adlusisse videtur his versibus.

In faciem vorsus Amphitryonis Iuppiter

a lib. 3. cap. 2.
b lib. 3. cap. 3.

Dum bellum gereret cum Telebou hostibus
Alcumenam vxorem cepit vsurariam.
Adlusisse dico propter a ia.

Nisi quis malit ex alio Prologi versu quo vsuram corporis eius cepisse cum scribit verba ea interpretari. Equidem assentiri iis non possum qui solo vsu vxores cũ concubinis cõfundere conantur. Aliud enim semper fuit vxorum, aliud Concubinarum nomen. Nec vxorij nominis dignitas concubinis vnquam est tributa. Hoc ergo inter eas quæ quoquo modo in matrimonium conuenissent, quas Cicero, tantummodo vxores, Gellius, Matronas appellatas scribit, & Concubinas intererat quod illæ Matrimonij, hæ consuetudinis solius causa haberentur. Atque ex affectu & animo habentis ea res plerumque censebatur. Quamquam in liberæ mulieris eiúsque ingenuæ quæ corpore quæstum non fecisset, consuetudine non concubinatus, sed Matrimonium intelligebatur: vt Modestinus lib. I. Regular. scribit. [a] qui & illud eodem libro tradiderat, [b] Stuprũ cõmittere eum qui liberam mulierẽ cõsuetudinis nõ matrimonij causa cõtineret. Honestę quippe vitę & ingenuã minime prostituti corporis mulierẽ in cõcubinatu habere nõ licebat: sed vel in matrimonio habere necesse erat vel qu. hoc recusabat in legẽ Iuliã de adulteriis incidere stuprique crimẽ cõmittere iudicabatur. [a] Ex earũ verò mulierum quæ vel in matrimonio vel in cõcubinatu promiscuè haberi poterãt, cõsuetudine vtrũ matrimoniũ an cõcubinatus induceretur ex destinatione animi eorũ qui eas habebãt pẽdebat. Nã si maritali eas honore & affectione viri prosequerẽtur, vxores: sin minus concubinæ censebantur. Ex illis suscepti liberi, iusti ac legitimi. Ex his vulgo quæsiti ac spurij existimabantur. Quamobrem obscurum iam nemini esse puto quod concubinam ex sola animi destinatione æstimari oportere Paulus scribit. [a] Exemplum appositum suppeditat Capitolinus in M. Antonino philosopho: qui Faustina vxore mortua, à secundis nuptiis cum Imperatorem abstinuisse scribit. Enisam tamen esse quandam Fabiam vt in eius matrimonium coiret. sed illum ne tot liberis superduceret nouercam, concubinam duntaxat sibi adsciuisse procuratoris vxoris suę filiam. Aliud etiam occurrit ex Papiniano lib. VIII.

[a] L. In libera. D. de ritu nupt.
[b] L. Stuprum D. ad L. Iul. de adult.
[a] L. in concubinatu D. de concubin.
[a] L. penul. D. de concubin.

VIII. Responsor. a quo Cocceium Cassianum virum clarissimum Rufinam quandam ingenuam, pleno honore dilexit se ex eáque filiam suscepisse memorat: cum tamen pro concubina eam habuisset nec vxorio eam nomine dignatus esset & filiam alumnæ nomine nuncupasset, vulgo quæsitam eam filiam iudicatam refert. Itaque quæ concubina fuerat, mutata voluntate vxor haberi poterat. Testem habemus eũdem Papinianum lib. XII. Responsor. Donationes, ait, [a] in concubinam collatas, non posse reuocari conuenit: Nec si matrimonium inter eosdem postea fuerit contractum ad irritum recidere, quod ante iure valuit. An autẽ maritalis honor & affectio pridem præcesserit, personis comparatis, vitæ coniunctione considerata, perpẽdendum esse respondi. Neque enim tabulas facere matrimonium. Cui optimè quadrat quod Quintilianus lib. v. cap. xi. ita scribit. Ex contrario nihil obstat quominus iustum matrimonium sit mente coeuntium etiam si tabulæ signatæ non fuerint. Nihil enim proderit signasse tabulas si mentem matrimonij fuisse non constabit. Mens ergo & voluntas viri vxorem à concubina (quæ modo in concubinatu retineri iure poterat) separabat: cum ad matrimonij substantiam tabularum nuptialium obsignatio necessaria non esset. Vnde Imp. Probus Fortunato rescripsit [b] quã liberorum procreandorum causa domi habuerat vxorem, non eò minus ei iustam vxorem esse quod tabulæ nuptiales nullæ intercessissent. Dignitate item vxor à concubina distinguebatur vt noster Vlpianus significat. [c] Atq; ideo Ælius Cõmodus Verus Spartiano referẽte, vxorem dignitatis esse nomẽ non voluptatis dicebat. Sed & dotis datio dictio, vxores à concubinis secernebat. Plaut. Trinum. Act. iij. sc. ij.

---sed vt inops
Infamis ne sim, ne mihi hanc famam differant me
Germanam meam sororem in concubinatum tibi sine dote
Dedisse magis quàm in matrimonium. ---

Dos enim argumẽtũ erat certissimũ matrimonij Planè eam quę vxoris loco sine nuptiis in domo esset Pellicem ex quorundam sententia appellatam esse Paulus refert. [a] Cuius tamen vocis aliam idem interpretationem ex Massurij Sabini

al. in tabulis §. quoniam D. de his quæ vt indig.

[a] L. Donationes D. de donationib.

[b] L. si vicinis c. de nupt.

[c] L. Item legato §. penult. D. de legat. 3.

[a] In L. Masurius de ver. signif.

libro Memorialium adducit, vbi rectius meo quidē iudicio, Memorabilium legeretur. Nam hanc fuisse libri cuiusdam ab eo editi inscriptionē Macrobius lib. III. Saturnalior. cap. VI. ostendit. At Gellius pellicem appellatam probrosámque habitam quæ iuncta consutáque esset cum eo, in cuius manu mancipióque alia matrimonij causa foret, Numæ lege docet, [b] in qua ita erat. Pellex ædem Iunonis non tangito. Si tangit, Iunoni crinibus dimissis agnum feminam cædito. Ac de vxorum quidem generibus & differentiis satis. Ceterum antiquitus nuptiæ non nisi captatis prius auguriis fiebant, Iísque faciendis Auspices (quo nomine τοὺς ἐπ' οἰωνοῖς ἱερεῖς appellatos Plutarch. ἐν αἰτίοις scribit) olim interponantur, vt Valer. Max. lib. II. cap. I. tradit, his verbis. Apud antiquos nō solum publicè, sed etiam priuatim nihil gerebatur nisi auspi-
» cio prius sumpto: Quo ex more nuptiis etiam auspices nunc
» interponuntur: qui quamuis auspicia petere desierint, ipso
» tamen nomine veteris consuetudinis vestigia vsurpantur.
» Sic Tacitus de nuptiis Messalinæ tractans libr. XI. & de Neronis cū Pithagora coniugio lib. XV. agens vtrubique auspicum adhibitorum meminit. Plautus etiam in Prologo Casinæ.
Vltro, ait, *ibit nuptum, non manebit Auspices.* Cicero pro Cluentio. Nubit generosocrus, nullis auspicibus, nullis auctori-
» bus, funestis ominibus. Lucanus lib. II. de bello Pharsal.

» *Pignora nulla domus, nulli coire propinqui,*
Iunguntur taciti, contentique auspice Bruto,

Iuuenalis. Sat. X.

Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centeno dabuntur
Antiquo: veniet cum signatoribus Auspex.

Simmachus lib. II. Epistol. vel potius lib. 6. cap. 3. Sororem Pompeiam olim viro maturam te auspice in manus optat accipere. Huc etiam pertinet apud eum Ep. 14. lib. 4. Seruius in I. Aeneid. ad illum versum,

Cui pater intactam dederat, primísque iugarat
Ominibus, id est auguriis. Et secumdum Romanos locutus est, qui nihil nisi captatis faciebant auguriis, præcipue nuptias. Idem in lib. IIII. Æneid. ad eos versus.

Diis equidem auspicibus reor & Iunone secunda

[b] lib. iiij. cap. iiij.

Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.

Dij, ait, qui sunt auspices matrimoniorum Æneam huc venire fecerunt. Nuptiæ enim captatis auguriis fiebant. Quod ille Lucani & Iuuenalis paulo ante prolatis testimoniis comprobat. Hinc Claudianus in Epist. ad Serenam.

Atque vtinam sub luce tui contingeret oris,
Coniugis in castris & solio generi,
Optatum celebrare diem, me iungeret Auspex
Purpura, me sancto cingeret aula toro.

Idem in Ruffin. lib. I. *Hac auspice tada*
Oedipodem matri, nata iunxere Thyesten.

Seneca in Troade. Act. iiij. Sc. j.

Quicunque hymen funestus, illætabilis
Lamenta, cædes, sanguinem gemitus habet,
Est auspice Helena dignus.

Ac de huiusmodi auspicibus accipiendus est ille Suetonij in Claudio locus, quo Valeriam Messalinam vxorem supplicio adfecisse eum Imperatorem narrat, dote prius inter auspices consignata. Erat autem prosperrimi augurij nuptialibus negotiis accipitris circi altero pede claudi aspectus, vt Plinius lib. x. cap. VIII. prodidit. Quinetiam his coniugalibus auspiciis antiquit[us] Pilumnũ & Picumnũ deos deputatos Nonius Marcellus Varronis auctoritate adductus in cap. de doctorũ Indagine scribit. Sane Sixtus Pontifex in lib. de castitate conqueritur sua ætate, id est, Valentiniani temporibus illum adhuc morem in vsu esse. His ita expositis tempus est ad nouæ nuptæ cultum vestitum, ornatúmque transeamus. Ac primum vt à vertice incipiam, senis crinibus eam ornari solitam reperio: siue quod is ornatus vetustissimus esset, seu quod eo virgines Vestales ornabantur, quarum castitatem viris suis nubentes spondebant, quemadmodum Sex. Pompeius tradit. Cælibari præterea hasta, quæ in corpore gladiatoris obiecti occisique stetisset nubentis caput eodem auctore comebatur: vt quemadmodum illa fuerat coniuncta cum corpore gladiatoris, sic ipsa cum viro esset. vel quia matronæ in Iunonis Curitis tutela essent, quæ ita à ferenda hasta (quæ Sabinorum lingua curis dicitur) appellabatur: vel vt fortes viros genituram ominaretur:

vel quod nuptiali iure imperio viri subiiciebatur nubens, quia hasta summa armorum & Imperij est. Hanc autem consuetudinem alia huius instituti addita ratione Plutar. in Romulo retulit. ἔνιοι δὲ λέγουσι καὶ τὸ τὴν κόμην γαμουμένης αἰχμῇ διακρίνεσθαι δορατίου, σύμβολον εἶναι τοῦ μετὰ μάχης καὶ πολεμικῶς τὸν πρῶτον γάμον γενέσθαι περὶ ὧν ἐπὶ πλέον ἐν τοῖς αἰτίοις εἰρήκαμεν. Quibus verbis Plut. nos ad eum librum reiicit qui vulgo ῥωμαϊκὰ inscribitur quem tamen ipse αἰτιῶν inscripsisse videtur. Verba autem eius in eo libro hæc sunt. Διὰ τί τῶν γαμουμένων αἰχμῇ δορατίου κόμην διακρίνουσι, Cuius rei causas cōplures, hanc vero Sexto Pompeio concordantem adfert. ἢ τὰ πλεῖστα τῶν γαμικῶν εἰς τὴν Ἥραν ἀνῆπτον, Ἥρας δὲ ἱερὸν τὸ δόρυ νενόμισται καὶ τῶν ἀγαλμάτων αὐτῆς δόρατι στηρίζεται τὰ πλεῖστα καὶ Κυρῖτις ἡ θεὸς ἐπωνόμασθη, τὸ γὰρ δόρυ κυρὶν ἐκάλουν οἱ παλαιοί.

Curitis porrò Iunonis etiam Martia Fœlix lib. II. de nup. Philolog. inter cætera eius deæ cognomina meminit. Nec
" non Sextus Pompeius Curitim, ait, Iunonem appella-
" bāt quia eamdem ferre hastam putabant. Ouid. lib. I. fastor.

Siue quod hasta curis priscis est dicta Latinis.

Eum verò de quo agere cœpimus morē idem Ouid. libr. II. fastor. eo qui iam à me supra relatus est loco perstringit: mense Februario, quo inferis parentabatur nuptiis abstinendum hac periphrasi monens.

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri
Comat virgineas hasta recurua Comas.

Arnobius lib. II. aduersus gentes, veteres, quosdam ritus dis-
" suetudine sublatos recēsens, Cum in matrimonia, inquit, cō-
" uenitis, toga sternitis lectulos, & maritorum genios aduoca-
" tis, nubentium crinem celibari hasta mulcetis. Corona deinde redimiri nouæ nuptæ consueuerant. Tertullia. in lib. de
" corona militis. Coronant & nuptiæ sponsos. Catull. in carmine de nuptiis Iulij & Manl.

Cinge tempora floribus
Suaue olentis amaraci

Lucanus de nubente loquens,

Turritáque premens frontem matrona corona
Translata vitat, & quæ sequuntur.

Claudianus etiam Stiliconem ad nuptiarum apparatum co-

rona tempora cingere sic admonet,

Solitas galea,
Fulgere comas
Stilico molli
Necte corona.

Enimuerò recta tunica nouæ nuptæ induebantur qualem prima Caia Cæcilia texuit, vt est à Plinio libr. VIII. Natural. histor. cap. XLVIII. relatum. Quod quidem ex felici textricis coniugio in vsum venisse non dubito, cuius memoriā boni ominis causa in nuptialibus ritibus nouas nuptas vsurpasse constat. Et hoc est quod vult Festus, Regillis, inquiens, tunicis albis & reticulis luteis vtrisque rectis textis susum versum stantibus pridie nuptiarum diem virginibus indutæ cubitum ibant ominis causa vt etiam in togis virilibus dandis obseruari solet. Cingulo insuper nupta cingebatur, quod vir in lecto soluebat. Factū id ex lana ouis Sex. Pōp. scribit, vt sicut illa in glomis sublata, coniuncta inter se est, sic vir suus secū vinctus cinctúsque esset. Cingulum id Herculano nodo vinctum vir ominis gratia soluebat, vt sic ipse felix in suscipiendis liberis esset, sicut Hercules fuit qui LXX. liberos reliquit. Inde Catull. In nupt. Iul. & Manlii.

Te suis tremulus parens
Inuocat: tibi virgines
Zonula soluunt sinus.

Et in carmine ad Ianuam.

Nec quærendum aliunde foret neruosius illud
Quod zonam posset soluere virgineam. Et aliàs.
Tam gratum mihi quam fuit puellæ
Pernici aureolum tulisse malum
Quod zonam soluit diu ligatam.

Ouidius in Epistola Phyllidis ad Demophoontem.

Cui mea virginitas auibus libata sinistris.
Castáque fallaci zona reuicta manu.

Arnob. li. III. aduersus gētes. Nisi virginalia vincula iam feruentes dissoluerent atque imminentes mariti. Citatur & à Nonio Marcello hic Varronis versus γέροντος διδασκάλου. Nouus maritus taciturnus, taximusos is soluebat cingulum. Ab hac vero cingulorum replicatione Iunoni, quę coniuga-

libus federibus præesse credebatur, Cinxiæ cognomen inditum fuit. Sex. Pompeius, Cinxiæ, ait, Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis quod initio coniugii solutio erat cinguli quo noua nupta erat cincta. Arnobius lib. II. aduersus gent. Vnctionibus superest Vnxia, Cingulorũ Cinxia replicationi. Ex quo emendandus est Martiani felicis locus, apud quem lib. III. de nuptiis philolog. in ea oratione quam Philologia ad Iunonem habet, ita vulgò legitur. Iterducam, & domiducam, Vnxiam, Cinthiamque mortales puellæ debent in nuptias conuocare: vbi Cinxiam proculdubio legẽdum est. Iunoni autem multos habitos in nuptiis honores, quòd ea iungendis & conciliandis matrimoniis præesse censeretur præter Plutarchi supra citatum locum Ouidius non semel in Epistol. Heroidib. indicat. Veluti in Epistol. Phyllidis ad Demophoont.

Iunonémque toris quæ præsidet alma maritis.

Et in Epist. Medeæ ad Iaso.

Conscia sit Iuno sacris præfecta maritis

Et in Epist. Hipsipyles.

Non ego sum furtim tibi cognita: pronuba Iuno,
Adfuit.

Sed & Virgil. lib. IIII. Aeneid.

Iunoni ante omnes cui vincla iugalia curæ.

Statius Papin. In Syluis.

Dat Iuno verenda
Vincula & insigni geminat concordia tæda.

Iunonem plane nuptiarũ præsidem Dio Chrysostomus oratione septima quæ Euboica aut venator inscribitur, vocat. Eaque ratione τελείας cognomine à Græcis Iuno ornatur Plutarc. ἐν Αἰτιοῖς quæstio. secũda πέντε δεῖσθαι θεῶν τοὺς γαμοῦντας οἴονται. Διὸς τελείου καὶ ἥρας τελείας καὶ ἀφροδίτης καὶ πειθοῦς, ἐπὶ πᾶσι δὲ ἀρτέμιδος. Non enim adulta Iuno eo verbo exaudienda est, quemadmodum illic perperam interpres vertit, sed nuptiarum præses: Epitheton namque hoc à voce τέλος descendit quæ antiquis nuptias significabat. Pollux. libr. III. onomast. προτελεῖσθαι ἐλέγοντο οὐ μόνον αἱ νύμφαι, ἀλλὰ καὶ οἱ νύμφιοι, καὶ τέλειος ὁ γάμος ἐκαλεῖτο, καὶ προτέλειοι οἱ γεγαμηκότες. Διὰ τοῦτο καὶ ἥρα τέλεια ἡ συζυγία. ταύτῃ γὰρ τοῖς

προτελείοις προτέλουν & quæ sequuntur. Suidas, ἥρα ait, τελεία καὶ Ζεὺς τέλειος, ἐτιμῶντο ἐν τοῖς γάμοις ὡς πρυτάνεις ὄντες τῶν γάμων. τέλος δὲ ὁ γάμος. Διὸ καὶ προτέλεια ἐκαλεῖτο ἡ θυσία ἡ περὶ τῶν γάμων. Eustath. in II. Iliad. τέλος γὰρ, ait, ὁ γάμος ὅθεν τελείους τοὺς γεγαμηκότας ἔλεγον. Idem in XII. Iliad. ἐκ δὲ τοῦ λοιποῦ τέλος, ὃ σημαίνει τὸν γάμον, τὰ προτέλεια: ὧν χρῆσις μὲν μόνη παρὰ αἰλίῳ Διονυσίῳ, ἑρμηνεία δὲ παρὰ παυσανίᾳ εἰπόντι ὅτι προτέλεια ἡ περὶ τῶν γάμων θέα ἴσως τὰ λεγόμενα θεώρητρα. ἐκεῖθεν δὲ καὶ τέλειοι οἱ γεγαμηκότες καὶ τελεία θῆναι τὸ γῆμαι. Itaque τελεία Iuno nihil aliud quam γαμήλιον significat: quod Epitheton Iunoni tributum Seruius in IIII. Æneid. ad verbum *Et Iunone secunda*, notat. Quem quidem interpretis Plutarc. errorem eò dissimulandum non putaui, quod eo quoque in fraudem illectum Ludouicum Viuem videam in suis ad cap. XXII. lib. IIII. de ciuit. Dei Commentariis. Iunoni vero τῇ τελείᾳ sacra facientes fel cum reliquis victimarũ extis non porrigebant, sed demptum & diuulsum abiiciebãt mystice significantes bilem omnem atque iracundiam à nuptiis abesse oportere. Quod me Plutarch⁹ ἐν γαμικοῖς παραγγέλμασι docuit. Sed est ille eius auctoris locus in Frobenianis codicibus duobus in verbis corruptus. Sic enim scriptũ habent. οἱ τῇ γαμηλίᾳ θύοντες ὥρα τὴν χολὴν οὐ συγκαθαγίζουσι τοῖς ἄλλοις ἱεροῖς, ἀλλ᾽ ἐξελόντες ἔρριψαν περὶ τὸν βωμὸν αἰνιττόμενοι τοῦ νομοθέτου, τὸ μηδέποτε δεῖν χολὴν μηδὲ ὀργὴν γάμῳ παρεῖναι. Atqui legendum est γαμηλίᾳ θύοντες ἥρᾳ. Rursus, χολὴν, id est fel, non χολίω quod aliud penitus significat. Qui me locus admonet vt aliud huic adfine & cognatũ apud eundem auctorem librariorum vitio commissum erratum corrigam. Nam in Numa quo loco anni menses recenset, passim ita scriptum est. τῶν δ᾽ ἐφεξῆς τὸν μὲν μάϊον καλοῦσιν, ἀπὸ μαίας, ἑρμῇ γὰρ ἀφιέρωται, τὸν δὲ ἰούνιον ἀπὸ τῆς ὥρας. Vbi ἥρας legendum esse contendo. Idque sequentia verba manifestè demonstrãt. in quibus ita est. εἰσὶ δέ τινες οἱ τούτους ἡλικίας ἐπωνύμους, εἶναι λέγοντες πρεσβυτέρας καὶ νεωτέρας. μαϊώρης γὰρ οἱ πρεσβύτεροι παρ᾽ αὐτοῖς, ἰουνιώρης δὲ οἱ νεώτεροι καλοῦνται. Apparet enim Plutarchum duplex Iunii mensis etymon attingere, quem à Iunone nonnulli, à iunioribus alii dictum censeant. vt & idem ἐν αὐτοῖς: & Macrob. lib. II. Saturnal. cap. XII. testis est. Iunius, inquiens

Maium sequitur: aut ex parte populi vt supradiximus, no-
" minatus: aut vt Cingius arbitratur, quod Iunonius apud
" Latinos ante vocitatus, diuque apud Aricinos Prænestinós-
" que hac appellatione in fasto relatus sit, adeo vt sicut Nisus
" in commentariis fastorum dicit, apud maiores quoque no-
" stros hæc appellatio mensis diu manserit. Sed post detritis
" quibusdam literis ex Iunonio Iunius dictus sit. Censorinus
" in lib. de die natali cap. XVIII. Iunium quoque à Iunone po-
" tius quàm iunioribus: quòd illo mense Iunoni habentur ho-
" nores. Quibus & Bedam in lib. de ratione tempor. adde.
" Hanc certè lectionē omni scrupulo amoto rectam esse D. A-
miotus Abbas Bellosanenensis vir raræ doctrinæ, & ea quam
magna cũ laude sustinet, regiæ institutionis cura verè dignus,
mihi scriptorum codicum auctoritate comprobauit: qui &
illud me docuit in eadem Numæ vita paulo post in Februa-
rii mensis etymologia mendum esse: Nam cum vulgo
καὶ τοῖς φυτοῖς ἐναγίζουσι τότε, legatur, τοῖς φθιτοῖς legendum
esse veteres codices quos ille accuratissime euoluit, ostēdūt.
De cuius lectionis veritate nemo dubitabit qui eo mense iu-
sta Diis manibus solui, & mortuis parentari solitũ secum re-
putabit: Quod ex Ouidii Fastis. Macrobio lib. I. Saturn. cap.
XIII. aliisque veterum scriptis cuiuis in promptu esse potest.
Verum, vt ad propositum redeat oratio, ex ea superstitiosa
gentilium opinione quam de Iunone animo conceptam ha-
bebant, multa ei Deæ secundum munerum potestatum, ac in
re vxoria officiorum varietatē ac diuersitatem cognomina
indita fuisse obseruaui. Primum enim à coniunctione maris
& feminæ Iuga Sexto Pōp. teste vocabatur, exemplo Græci
sermonis quo ζυγία vocabatur. Quod nomen Apuleius Græ-
cissans lib. VI. de Asino aur. vsurpauit. Vnde & lib. 4. tibiam
zygiam vocauit cuius in nuptiis vsus esset. Quæ appellatio-
nis huius notatio à Dionysio Halicar. hic verbis comproba-
tur. Ζεὺς γὰρ καὶ Ἥρα πρῶτοι ζευγνύντες τε καὶ συνδυάζοντες οὗτοι·
ὁ μὲν καὶ πατὴρ καλεῖται πάντων, ἡ δὲ ζυγία ἀπὸ τοῦ ζευγνῦναι
τὸ θῆλυ τῷ ἄρρενι. Musonius etiam, ὅτι δὲ, ait, μέγα καὶ ἀξιοσπου-
δάστον ὁ γάμος ἐστὶ καὶ ταύτῃ δῆλον. θεοὶ γὰρ ἐπιτροπεύουσιν αὐτὸν
καθὸ νομίζονται παρ' ἀνθρώποις μεγάλοι, πρῶτον μὲν Ἥρα καὶ διὰ
τοῦτο ζυγίαν αὐτὴν προσαγορεύουσιν. Itemque Nonius διονύσιακ.
δ. & Mu-

ſ. & Muſcus quem ibi citat & emendat Gerartus Falkenburgius. Quod vero de iugo matrimoniis contrahendis imponi ſolito Seruius & poſt eum Iſidorus commemorãt, quia idoneorum & locupletum auctorum teſtimonio ab eis non firmatur, admittere non auſim. Nec ſum neſcius Plauti ex Curculione verſum ad hanc rem proferri poſſe, in quo ita eſt, *Iamne es fert iugum?* Sed id μεταφορικῶς dictum eſſe probabilius eſt quemadmodum illud Horatii. *Nondum ſubacta ferre iugum valet, Ceruice.* Et apud Senec. in Troade. quo iugari Theſſalo cultu ſolent. quod nihil aliud eſt quàm matrimonio iungi ducta à bobus metaphora qui iugari dicuntur cùm idem iugum ſubeunt. Vt autem à matrimoniorum cõiunctione Iuga & zygia, ita à mulieris in domum mariti deductione Domiduca, & Iterduca, à cingulo nouæ nuptæ Cinxia, ab vnctione, Vnxia Iuno appellabatur. Et ita actui cuique peculiare nomen ſtulta gentilitas adſignabat. Quam ridiculam eorum ſuperſtitionem B Auguſtinus lib. vi. de ciuit. Dei cap. ix. ita exagitat. Cum mas & femina coniungũtur adhibetur deus Iugatinus. Sit hoc ferendum: Sed domũ eſt ducenda quæ nubit. Adhibetur Deus Domiducus. Vt in domo ſit, adhibetur Deus Domitius, vt maneat cum viro additur dea Manturna. Et paulo poſt, Impletur cubiculum turba numinum quando & paranymphi inde diſcedunt. Adeſt dea Virginenſis & Deus pater Subigus, & dea mater Prema, & dea Partunda & Venus & Priapus. Virginenſis quidem, vt ibidem indicat, ad hoc vt virgini zona ſoluatur. Subigus vt viro ſubigatur. Prema, vt ſubacta ne ſe commoueat, comprimatur. Cuiuſmodi etiã ineptias Arnob. lib. ii. aduerſus gent. ſcitè ridet. Verum vt ad inſtituta pergamus, Coronam ex verbenis à ſe lectis compoſitam noua nupta Sex. Pomp. teſte, ſub amiculo ferebat. Eandem & ſoccos luteos geſtaſſe Catullus ſuſpicandum relinquit. Sed vt hoc obſcurum eſt, ita velo obnubi ſolitam cum ad virum deduceretur, tam certum eſt quàm quod certiſſimum. Tertullianus de virginib. veland. Atquin, ait, etiam velatæ ad virum ducuntur. Vnde nuptiarum nomen ductum eſſe conſentiens in vnum omniũ Grammaticorũ fert opinio. Nubere enim & obnubere priſcis velare & operire ſignificabat, vt Sex. Pomp. non vno lo-

co, Non. Marcell. & alii complures notant. Quo in significato Arnob. lib. III. aduersus gẽt. hoc verbo vsus est. Quod aqua, inquiens, nubat terram, appellatus est cognominatúsque Neptunus. Caper in lib. de orthograph. Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput suum genasque. Velum autem id quo nuptæ caput operiebatur, Flammeum vocabatur: quo boni ominis gratia eas velari solitas Sex. Pomp. tradit, idcirco quod eo assidue Flaminica vteretur, cui diuortiũ facere non licebat. Sueton. in Nero. ca. XXVIII. Puerum Sporum exectis testibus etiam in muliebrem formam transfigurare conatus est, cum dote & flammeo per sollemne nuptiarũ celeberrimo officio ad se deductum pro vxore habuit. De quo Imperatore etiã Tacit. lib. XV. agens. Ipse, inquit, per licita atque illicita fœdatus nihil flagitii reliquerat, quò corruptior ageret: nisi paucos post dies vni ex cõtaminatorum grege cui Pythagoræ nomen fuit in modum sollemniũ coniugiorum denupsisset. Inditum Imperatori flammeum. Martial. lib. XI. Epigrammat.

Flammea texantur sponsæ: iam virgo parata est.
Tondebit pueros iam noua nupta tuos.

Idem lib. XII.

Proluxere faces, velarunt flammea vultus.

Iuuenalis Sat. VI. de muliere crebris diuortiis maritos mutante.

Permutátque domos & flammea conterit.

Quintiliã. declamatio. CCCVI. Operiet flammeo canos. Tertullian. in lib. aduersus Valentinia. His nuptiis rectè deducẽdis pro face & flammeo tuus credo ille arcanus ignis erumpet. Apuleius Apolog. II. Venit igitur ad eum noua nupta secura & intrepida, pudore dispoliato, flore exoleto, flammeo obsoleto. Ambrosius in libr. de viduis. Suasimus fateor, vt vestem mutares, non vt flammeum sumeres, vt à sepulchro recederes, non vt thalamum præparares. Proinde Catullus initio carminis de nuptiis Iuliæ & Manlij, Hymeneum ad flammeum capiendum excitat. Et alio eiusdem carminis loco,

Tollite, ait, pueri faces,
Flammeum videor videre.

Claudian. in Epithalamio,

Iam nuptæ trepidat sollicitus pudor
Iam produnt lachrymas flammea supplices.

Idem libr. II. de Raptu Proserp.

Et vultibus addunt
Flammea sollicitum præuelatura pudorem.

Idem in carmine Honorij & Mariæ

Ipsa caput distinguit acu, substringit amictus
Flammea virgineis accommodat ipsa capillis.

Iuuenalis. Sat. ij.

Segmente, & longos habitus & flammea simul.

Idem. Sat. vi. de muliere crebrò diuertente & nubente.

Permutatq; domos & flammea conterit.---

Idem Sat. x.

Cui nubere Cæsaris uxor
Destinat, optimus hic, & formosissimus idem
Gentis patritiæ rapitur miser, extinguendus:
Messalinæ oculis, dudum sedet illa parato
Flammeolo.

Seneca in Octauia, de Poppæa Neroni nubente.

Velata summum tenui caput.

Martianus Capella lib. v. de nuptiis Philolog. In quibus, ait, species rerum collocandæ sunt, veluti nuptiarum, velatam flammeo nubentem. Idem libr. IX:

Flammea virgineum quæ obnubere sueta pudorem
Regina deme pronuba.

Apuleius rursus. lib. IIII. de asino aur. Iã feraliũ nuptiarũ "miserrimæ virgini choragium struitur: Iam tædæ lumen a-"træ fulginis cinerem arcessunt, & sonus tibiæ zygiæ mutatur "in querulum lydii modum, cãtúsque lætus hymenei lugubri "vlulatu, & puella nuptura deterget lachrymas ipso flammeo."

Hoc vero velamen luteũ erat, vt hæc Plinii verba declarant quæ ex eius lib. Natur. histor. XXI. cap. VIII. apposui. Lutei video honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis to-"tum feminis concessum, & fortassis ideo non numerari inter "principales hoc est communes maribus ac feminis, quoniam "societas principatum dedit. Ex quo Lucan. lib. II. de bello "Pharsal.

Non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem
Lutea demißos velarunt flammea vultus.

Rapi planè, vt Sextus Pomp. auctor est, simulabatur virgo ex gremio matris, aut si ea deesset, ex proxima necessitudine tum cum ad virum transferebatur: propterea quod ea res Romulo feliciter cessisset, qui per vim sibi suisque ex Sabinis vxores quæsiuit. Ex quo illud Catulli,

Qui rapis teneram ad virum
Virginem.

Meminit quoque huius iuris Tertull. lib. de spectac.

Exposui quo cultu atque ornatu noua nupta ad virũ præcederet. Vnde lucẽ accipiẽt Halicarnassei hæc verba ex lib. IIII. Antiquit. *μετὰ τοῦτο τὴν γυναῖκα κοσμησαμένην ὡς ἔθος ἐστὶ κοσμεῖσθαι τὴν γαμουμένην.* Deinceps de pompæ apparatu ac traductionis ritu agam. Sollemnis autem moris fuisse, vt in viri domum tanquam coniugii mansionem ac domicilium nuptæ traducerentur, abũde libro primo Selectarum ex iure ciuili Antiquitatum, multis iureconsultorum & aliorum auctorum testimoniis probauimus: quæ quod inde facilimè peti poßint hûc transferenda non censui. Vnde vxorem ducere quasi domum ducere, imminutè Latini dicunt, quẽadmodum ex compluribus Plauti locis patet. Sic enim Aularia.

E. *Quod sempiternum tibi salutare sit procreandis liberis.*
M *Ita dij faxint.* E. *volo te domum vxorem ducere.*

Idem Trinummo Actus v. Sc. II.

Nunc quid causæ est quin vxorem cras domum ducat.

Et in Epidico, Actus. II. Sc. I.

Genere natam bono pauperem domum ducere vxorem.

Idem Cistellar. Act. II. Sc. I.

Illam extrudet cum hanc vxorem ducet domum.

Iterum. Act. I. Scen. I.

Et nunc alia ducenda est domum
Sua cognata.

Atq; ex hoc more repetẽda est eius ratio quod iure ciuili cautum[a] nuptiis mulierem domicilium suum mutare, & in viri domicilium transire. Quod & ex iuris disciplina Seruius adnotat ad illum Virgilii versum lib. IIII. Aeneid.

[a] l. Exigere D. de iud. l. cum quadam puella D. de iurisd. omni iud. l. vlt. §. Itẽ rescripserunt. D. ad municipal. l. vltim. C. de incol.

Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.

Item vnam post matrimonium viri & vxoris domũ dici [b] mirãdum non est, δυοῖν οἴκοιν, vt Plutarch. lib. IIII. Symposiacor. cap. III. scribit, εἰς τὸ αὐτὸ συνιόντων. Plane eam quæ desponsata est, ante contractas nuptias nõ mutare domicilium Modestinus belle tradit, [c] quod in domum viri nondum sit deducta. Hanc autem conditionem, Si in familia nupserit, impletam videri statim atque ducta est vxor, quamuis nõdum in cubiculum mariti peruenerit, traditum extat. [d] Enimuerò deductio hæc vespere fiebat. Antiquitus si quidem non nisi noctu mulieres ducebantur vt Sex. Pompeius libr. XIIII. & Seruius in VIII. Eclog. Virgilij ex Varrone, scribunt. Vnde Valerius. Max. lib. I. cap. V. At Cæcilia Metelli dum sororis adultæ ætatis virginis more prisco noctu connubia nuptialia petit, omen ipsa fecit. Tacitus quoque lib. XI. à Nerone cum Pithagora cõfectas nuptias referens. Et interdiu, ait, in viro nubente spectata quæ etiam in femina nox operit. Ea ratio est, cur noctem adesse in Epithalamio Catullus moneat, his versibus,

b l. I. §. Si vir D. ad Sen. Syll.

c l. Ea quæ D. ad municipal.

d l. cũ fuerit. D. de conditio. & demonstr.

Vesper adest, iuuenes consurgite: vesper Olympo
Surgere iam tempus, iam pingues linquere mensas
Iam veniet virgo, iam dicetur hymeneus.

Pari de caussa Claudianus in Epitalamio Hesperi ortum præcinit.

Attollens thalamis Idalium iubar
Dilectus veneri nascitur Hesperus.

Idem lib. II. de raptu Proserpinæ.

Iam suus inferno processerat Hesperus orbi.

Pueri verò patrimi tres nubentem Sex. Pomp. teste deducebant, quorum vnus facem præfereb. t, reliqui duo nubentem tenebant. Vnde Catullus in Carmine de nuptiis Iul. & Manl.

Mitte brachiolum teres
Prætextatæ puellulæ.

Fax porro ea quæ præferebatur, ex spina alba fiebat, vt idem Pomp. scribit. Ideóque Catullus in illo carmine cuius modo testimonium citaui.

Pelle, inquit, *humum pedibus, manu*

Spineam quate tædam,

Eáque ratione Plinius, ſpinam nuptiarum facibus auſpicatiſſimam dixit. Non deſunt tamen qui nuptiales faces ex pinu confici ſolitas omni aſſeueratione contendant, & apud Catull. legendum cenſeant, *pineam quate tædam*, vt & ante Parthenij emendationem legebatur: atq; ita quoq; nouiſſimè edidit Scaliger ex veteribus opinor libris. Mouenturq; Ouidij verſibus ex lib. II. Faſto. quò loci à coniugio per aliquot dies abſtinendum hac periphraſi ſuadet.

Dum tamen hæc fient, viduæ ceſſate puellæ
Expectet puros pinea tæda dies.

Quamquam illic abſque vllo verſus vitio, rectè ſpinea tæda legi poſſet. Sed proferam alios locos, qui eandem immutationem non ferant. Varro lib. II. de vita Pop. Rom. vt eſt apud Noniū. Cùm à noua nupta ignis in face adferretur foco Ædilis ſumptus (Sic enim lego) fax ex pinu ablata eſſet, vt eam puer ingenuus adferret. Idem Varro γέροντο διδασκάλῳ. Confluit mulierum Roma. quæ noctu initia fieri ſolita, (vel, vt emendant quidam, quæ noctu nubere ſolita) etiam nunc pinea fax indicat. Quem ego Varrònis locum, ad hanc quęſtionem ea ratione accomodari poſſe cenſeo, quod in honorem Cereris faces in nuptiis prælatas Sex. Pomp. tradit. Tametſi Seruius in VIII. Eclog. Bucolic. Virgilij, nulli id religioni acceptum fert, ſed ex eo inoleuiſſe Varronis auctoritate fretus, ſcribit, quòd nō niſi noctu antiquitus à ſponſis vxores ducerentur. Confirmat verò illam de pineis facibus opinionem Virgilius in Ciri, cùm ait.

Pronuba nec caſtos incendet pinus amores.

Seneca in Medæa choro primo.

Mulifidam iam tempus erit ſuccendere pinum
Excute ſolemnem digitis marcentibus ignem.

Et paulo antè etiam dixerat

Medæa, pronubam thalamo feram:
Vt ipſa pinum. ---

In quibus duobus locis vetera omnia exemplaria ita conſtāter habere aſſerit interpres recentior Delrio. ſicuti etiam in Nonio.

Rurſus idem Varro apud Chariſium Soſipatrum: In Aſia, ait,

fax est, spina alba profertur, quod purgationis causa adhibetur. Sane spinæ albæ ad maleficia depellenda vim inesse antiquitas credidit. Ouid. lib. VI. fastor.

Sic fatus spinam, qua tristes pellere posset,
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit:

Et postea,

Virgáque ianalis de spina ponitur alba,
Qua lumen thalamo parua fenestra dabat.
Post illud neque aues cunas violasse feruntur:
Et redijt puero qui fuit ante color.

Verum quid prohibet ex variis arborum generibus, faces nuptiarum cõfici solitas dicere? Plinius enim in eo, cuius supra testimonio vsus sum, loco spinam quidem facibus nuptiarũ auspicatissimam fuisse scribit, suis tamen temporibus Carpinum & Corylum facibus familiarissimas fuisse subiicit. Potest autem hic facium in nuptiis præferendarum mos aliis præterea testimoniis comprobari. Plautus Casina Act. I. Sc. I.

Primum omnium huic lucebis nouæ nuptæ facem.

Seneca in Octauia Act. II. Sce. II.

Hic mihi iugales præferat tædas deus,
Iungátque nostris igne Poppæam toru,

Et iterum Act. III.

Tellure rupta, Tartaro gressum extuli,
Stygiam cruenta præferens dextra facem
Thalamis scelestis: nubat his flammis meo,
Poppæa nato.

Idem Act. I.

Quæ nupta demens, nupsit incesta face.

Et aliàs. *Coniugem captam sibi*
Toris nefandis flebili iunxit face.

Cicero pro Cluentio Auito. Non timuisse si minus vim deorum hominúmque famam: at illam ipsam noctem, facésque illas nuptiales.

Virg. Eclog. VIII.

Mopse nouas incide faces, tibi ducitur vxor.

Claudianus in carmine de nuptiis Honorij & Mar.

—alij finalibus ordine ductis

Plurima venturæ suspendunt lumina nocti.
Ambrosius in lib. de viduis. Vel cum accensis funalibus mox ducitur, nonne pompæ funebris exequias magis putat, quam thalamum præparari?
Statius Papinius in Syluis, nuptiarum quamdam celebritatem describens.
Fronde, ait, virent postes & feruent compita flammis.
Possent & ex Epigrammatis Græcis complura de nuptialibus facibus loca congeri. Eas faces Catullus in carmine de nuptiis Pelei. & Cato in li. de re Rustica non semel tædas iugales vocant. Valerius Flaccus faces iugales lib. II. Argonauticor. appellat. Lucanus lib. II. de bello Pharsal. faces legitimas. Statius Papinius tædas geniales, in Genethliaco Lucani lib. II. Syluarum: & festas tædas lib. III. Syluar. vt & Claudianus lib. II. de raptu Proserpinæ: Plutarchus ἐν αἰτίοις à Romanis cereos appellatos tradit: vbi & illud adnotat quinque nec plures nec pauciores in nuptiis accēdi solitas faces. Est etiam ibidem obseruandum, quod nostram illam de restitutione loci eius, quem paulo ante ex Varrone protuli, coniecturam confirmat apud Ædiles accendi faces consueuisse. Hinc & nuptias sanctæ fœdera tedæ. Silius Italicus lib. VI. nominat. Fax autem illa qua prælucente noua nupta ducta erat, rapi ab amicis consueuerat, ne aut eam sub tecto viri vxor ea nocte poneret, aut vir in sepulchro comburendam curaret, quo vtroque alterius mors captari putabatur vt memoriæ prodidit Festus. Aliam tamen huius moris caussam assignat Seruius (de eo intelligo qui nondum est excusus) Faces, inquit, quæ solent praire nubentes puellas, corneæ sanè faces, quæ quasi diutissimè luceant, quas rapiunt tanquam vitæ præsidia: namque his qui sunt potiti, diutius feruntur vixisse. Enimuero silentio præterire non possum quod quibusdam visum iri posse scio, in altum tolli nubentes priscis temporibus consueuisse: Qua de re nos subtilis ingenij vir noster Loisilius, ex Optati Afri. lib. VI. admonuit, quo loco in Donatistas qui virgines post crines semel solutos ad iteratam professionem adegerant, ita inuehitur. *Inuenistis igitur huiusmodi virgines, quæ iam spiritualiter nupserant, quasi secundo coegistis ad nuptias: vt crines iterum*

rum soluerent imperasis. Hoc, nec mulieres patiuntur quæ carnaliter nubunt. ex quibus si alicui maritum mutare contigerit, non reperitur illa temporalis festiuitas. Non in altum tollitur, non populi frequentia procuratur.

Verum id ex suæ gentis Africanæ potius quã Latiæ moribus ab Optato mihi videtur esse dictum, cum Romano more nubentes manu potius ducerentur.

Compertum siquidem habeo apud Pœnos, Græcos, Ægyptios vsu receptum fuisse, vt nubentes sellæ insidentes, currúque sublimes vectæ à patris domo in mariti domicilium transferrentur. Quod ego Apulei, Pollucis, Synesij, Suidę testimoniis ita aperte comprobabo vt nullus dubitationi reliquus sit futurus locus. Apuleius quidem Apologia pro seipso secunda sic habet. Venit igitur ad eum noua nupta secura & intrepida, pudore dispoliato, flore exoleto, flámeo obsoleto, virgo rursum post recens repudium nomen potius afferens puellæ, quàm integritatem. Vectabatur Octaphoro. Vidistis profecto qui adfuistis, quàm improba iuuenum circumspectatrix, quàm immodica sui ostentatrix. Pollux vero lib. III. Onomast. cap. III. ἐπὶ ζεύγους δὲ, inquit, αἱ νύμφαι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μετήεσαν. Quod latius ac copiosius a Suida exponitur in voce ζεῦγος. ζεῦξαντες ait, τὴν λεγομένην κληνίδα ἢ ἐστὶν ὁμοία δίφρῳ, τὴν τῆς νύμφης μέθοδον ποιοῦνται. παραλαβόντες δὲ αὐτὴν ἐκ τῆς πατρῴας ἑστίας ἐπὶ τὴν ἅμαξαν ἄγουσιν ἐς τὰ τοῦ γαμοῦντος ἑσπέρας ἱκανῆς. κάθηνται δὲ τρεῖς ἐπὶ τῆς ἁμάξης, μέση μὲν ἡ νύμφη, ἑκατέρωθεν δὲ ὁ νυμφίος καὶ ὁ πάροχος. Synesius quoq; Epist. III. de puella post patrui funus nubente agens, quem nos, quod eius verba paulo obscuriora sint, Latinè loquẽtẽ faciemus. Vix ergo, inquit, expectato septimo die quo nos iusta mortuo feceramus, epulúmq; funebre agitaueramus anum delirã nutricem suã in vehiculum mulis iunctum tollens, meridie, quo tempore forum populi frequentia repletum erat, insignibus nuptialibus ornata, põpæ more currũ agens recta Teuchira (nomen id est vrbis Cyrenaicæ præfecturę) contendebat. Futurum enim est vt sequenti die falcus redimita caput. ac Cybelles instar turrita vrbem circumeat & oberret. Hęc ille. Sed & Constantinopoli idẽ vsu receptum fuisse videtur, quemadmodũ indicio sunt Claudiani versus,

quos ex carmine de nuptiis Honorij & Mariæ subiungam.

Ante fores iam pompa sonat, pilentáque sacram
Præradiant ductura nurum: calet obuius ire
Iam princeps.

At vero priscis Romanis quorum duntaxat ritus exequi mihi propositum est, curulem illam nouæ nuptæ transuectionem in vsu fuisse nusquam legi. Quinimo à pueris patrimis & matrimis duobus manu ductam nubentem Sext. Pomp. non obscure significat. Nubentes planè colus compta cum fuso & stamine comitabatur. Cuius moris grauissima duo testimonia proferam. Vnum ex Plutarch. ἐν αἰτίοις. τὴν νύμφην, ait, εἰσάγοντες, νάκος ὑποστρωννύουσι, αὕτη δὲ εἰσφέρει μὲν ἠλακάτην καὶ τὴν ἄτρακτον. Alterum ex Plinio, apud quem
„ lib. VIII. Natur. histor. cap. XLVIII. ita est. Lanam cum colo &
„ fuso Tanaquil, quæ eadem Cæcilia vocata est, in templo
„ Sangi durasse prodente se auctor est M. Varro, factámque
„ ab ea togam regiam vndulatam in æde Fortunæ, qua Seruius
„ Tullius fuerat vsus. Inde factum vt nubentes virgines comi-
„ taretur colus compta, cum fuso & stamine. Illam autem de colo & fuso Caïæ Cęciliæ obseruationem nec Plutarch. prætermisit, cuius hæc sunt in illo eodem libro verba. ἡ διὰ τὴν γαΐαν καὶ κιλίαν καλὴν καὶ ἀγαθὴν γυναῖκα τῶν ταρκυνίου παίδων ἑνὶ συνοικοῦσαν, ἧς ἐν τῷ τοῦ σάγκτου ἱερῷ χαλκοῦς ἀνδρίας εἱστήκει, ἔκειτο δὲ πάλαι καὶ σανδάλια καὶ ἄτρακτοι. Quo loci σάγκλου pro σαγκου scriptum esse prima facie quis superioribus Plinii motus verbis iudicaret. Et ita certè. Genium eum nuncupat Liuius lib. VIII. Aedes eius, ait, quæ essent in Palatio diruendas: Bona Semoni Sango censuerunt consecranda. Quod ex eis redactum, ex eo ænei orbes facti, & positi in sacello Sangi versus ædem Quirini. Nam & Genii Sangi sacellum in eadem cum nouo Quirini templo regione vrbis Romæ, Pub. Victor & Sex. Ruffus collocant. Idem Liuius lib. XXXII. Veliterni ędem fuisse Sangi narrat. Sextus etiã Pomp. li. XIIII. Propter viam, ait, fit sacrificium quod est proficiscendi gratiâ Herculi aut Sãgo, qui scilicet idẽ est Deus. Lactãtius Firmia. lib. I. Diuinar. Institutio. cap. XV. Priuatim vero singuli populi, gentis aut vrbis cõditores, seu viri fortitudine insignes erant, seu feminę castitate mirabiles, summa veneratione co-

cap. 28.

luerunt,vt Ægyptij Isidem, Mauri Iubam, Macedones Cabyrium,Pœni Vranum,Latini Faunum: Sabini Sangũ (aut, vt alij codices habent,Sancum). Verum M.Cato in Originũ fragmẽtis,quem Sabini Sangum (nam illic Sangnum vitiosè scriptum est) dicerent, Romanos Sanctum pronunciasse, Barbaros Sagam dixisse notat. Vtrumque etiam promiscuè dictum B.Augustinus lib.xvIII.de Ciuit.Dei.cap.xIx.declarat.Sabini etiam,ait,regem suum primum Sangum,siue,vt a- " liqui appellant, Sanctum retulerunt in deos. Vt proinde " σάγκθν scriptura apud Plutarchum mutanda esse nõ videatur:quam video Latinorum quoque auctorum in libris hæsisse:veluti apud Ouid.lib.vI.Fastor.: vbi deus hic aut Semideus potius,quo de agimus,idem esse cum Fidio & Hercule declaratur his versibus.

Quærebam Nonas, Sancto Fidioue referrem,
An tibi semipater? Tunc mihi Sanctus ait:
Cuicunque ex illis dederis,ego munus habebo:
Nomina terna fero:sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini:
Inque Quirinali constituere iugo.

Apud Sylium etiam Italicum lib.vIII. de bello Punico, quo loco de Nursinis & Tetricæ rupis accolis agit, versus hi leguntur.

Ibant,& læti pars Sanctum voce canebant
Auctorem generis:pars laudes ore ferebant
Sabe tuas,qui de patrio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

Sed & Varro (ex cuius recognitione magnã à philologis omnibus gratiã Vertranius Maurus raræ vir & recõditę doctrinę iniuit)lib.IIII.de Lingua Lat. Vnde, ait,sub Dio, Diuo. " Dius fidius.Itaque inde eius perforatũ tectũ vt videatur Di- " uum id est cœlum. Quidam negant sub tecto per hunc deie- " rare oportere.Aelius Gallus Dium fidium dicebat, Diouis " filium Διόσκυρον, Castorem, & putabant hunc esse Sanctum " ab Sabina lingua & Herculem à Gręca Accedat & Dionysij " Halicar auctoritas,cuius hæc sunt libr. IIII verba τύπων τῶν ὁρκίων ἐστὶ μνημεῖον ἐν ῥώμῃ κείμενον ἐν ἱερῷ Διὸς πιστίου, ὃν ῥωμαῖοι σάγκθον καλοῦσι. In quibus verbis conuertendis aptius meo

quidem iudicio Dium Fidium quam Iouem fidei præsidem interpres dixisset. De eo etiam accipiendum est quod apud eundẽ auctorem lib. 11. de Medio fidio narratur: Quem locum consulendum cuique relinquam: dum tamen errati, quod illic deprehendet, monitorem me & præmonstratorẽ habeat. Nam μέδιον φαβίδιον cum vitio scriptum inueniet pro μέδιον φίδιον. Non absimili errore apud Sex. Ruffum in descriptione regionis tertiæ vrbis Romæ Sãgi fidoni pro Fidij scriptum esse facilè existimarim. Eius vero simulacrum ex marmore antiquo in libro Epigrammat. vrbis Romæ expressum est. Quin & in inscriptione quadam Reatina ita habetur, SANCTO FIDIO SEMIPATRI DE DECVMA VICTOR TIBEI LVCIVS MVMVS DONVM MORIBVS ANTIQVEIS PRO VSVRA HOC DARE SESE IVSSVM ANNO SVO PERFECIT. In qua inscriptione Semipatris appellatio ad enarrationem Ouidij versuum notanda est. cæterum hunc Sancum vocat Propertius & à sanciendo videtur deducere. Sic enim, inquit,

Hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sancum Tatiæ compsuere manus.

Atque vt in hoc vocabulo diutius, quãquam nõ sine fructu, immorãtẽ me æquiore animo philologiæ studiosi ferãt, adiiciam pro coronide, epitheti quod à Liuio Sango huic tribuitur, explicationem: qua gratum me eis fecisse, si candidi sunt, adgnoscent. Quotus quisque enim est qui in eum Liuij locum incidẽs quo Sermonem Sanguin nominat, insolentia vocis turbatus nõ hæsitet, ac subsistat? Eius certè vocis vim ac potestatem vnus mihi Fulgentius Placiades in libello obscurarum vocum ad Calcid. patefecit: cuius vti in scriptis libris (quorum ope libellum eum aliquando integritati suæ restitui posse nõ diffido) habẽtur, producã. SEMONES, „ ait ille, dici voluerunt Deos, quos nec cœlo adscriberent ob „ meriti paupertatẽ, sicut sunt Priapus, Hippona, Vertumnus. „ Nec terrenos eos deputare vellent, pro gratiæ veneratione. „ Sicut Varro in Mystagogorũ libro ait. Semonéque inferius „ derelicto, Deum depennato attollam orationis alloquio. Ex quo auctore (nec enim alij indicij precium & τὰ μηνυτρα de-

beri puto) postea Merulam & Beroaldum eius vocis sensum assecutos depichendi. Vnde Semonẽ Sangum id est Semideũ & Medioximum Liuius dixit. De his autem Deorum gradibus atque ordinibus videndus est Apuleius in lib. de Dogmate Plato. & iterum in lib. de Deo Socratis & Martia Capel. li. I. de nup. Philolog. Sed labor longius à proposito, ad quod tamen non ante reuertar, quàm admonuero à Plutarcho reliquos omnes auctores in eo dissidere, quod non vnius ex Tarquinii liberis, sed Tarquinii Prisci vxorẽ Caiam Cæciliam quæ eadẽ Tanaquil vocitata est, fuisse scribant. Qua de causa Sex. Pompeii verba, quod ad rem apprime faciant, subiungenda duxi. Caia Cæcilia, ait, est appellata vt Romam venit, quæ antea Tanaquil vocitata erat: " vxor Tarquinii Prisci Romanorum regis: quæ tantæ probi- " tatis fuit vt id nomen ominis boni causa frequentent nu- " bentes : quam summam adseuerant lanificam fuisse. Iulius " Paris in Epito. libr. x. Valer. Max. Ceterum Caia vsu super omnes celebrata est. Fertur enim Caiam Cæciliam Tarqui- " nii Prisci regis vxorem, optimam lanificam fuisse. Quid er- " go? Erroris aut oscitantiæ reum Plutarchum agemus? Mihi crimen hoc tam diligenti Romanarum antiquitatum inuestigatori intendere religio esset. Crediderim itaque scripsisse eũ Ταρκυνίων ἑνὶ συνοικήσασαν: sed cum ταρκυνίου imperit⁹ librarius descripsisset nihilo peritiorem quendam sensus supplẽdi causa vocem παίδων inseruisse. Nunc ad rem. Prætcrea vtensilia mulieris & quæ in vsu ac ministerio eius erant, per puerum impuberem in vase operto gestari consueuerant. Puer Camillus: Vas ipsum Cumerum proprio nomine vocabatur. Varro lib. VI. de lingua Lat. Igitur dicitur in nu- " ptiis Camillus qui Cumerum fert, in quo quod sit in mini- " sterio plerique extrinsecus nectunt. Hinc Camillus nomina- " tur in Samothraces mysteriis Dius quidam administer Diis " magnis. Verbum Græcum arbitror, quod apud Callima- " chum in poematis eius inueni. Verba verò hæc imperitè sunt apud Sex. Pomp. aut Paulum eius Epitomes auctorem, non deprauata modo, sed & confusa, & permixta lib. " XI. in quo ita est. Cum̃ram vocabant antiqui vas quod- " dam quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nuben- "

„ tis vtensilia quod & Camillum dicebant, eo quòd sacro-
„ rum ministrum κάμιλλον appellabant. Rectius verò alia par-
„ te Cumerum vas esse dicitur nuptiale à similitudine cumerarum quæ fiunt palmeæ vel sparteæ ad vsum popularem sic appellatum. Quod verò ad Camilli vocem attinet, apud eũdem Sex. Pomp. lib. VI. traditur, Flaminium Camillum puerum dictum ingenuum patrimum & matrimum, qui Flamini Diali ad sacrificia præministrabat. Camillosque ab antiquis ministros secundum nonnullorum sententiam, omnes pueros appellatos: sicut habetur in antiquo carmine cum pater filio de agricultura præciperet:

Hiberno puluere verno luto grandia farra Camille metes. Macrobius lib. III. cap. IX ex Statio Tullian. de vocabulis rerũ lib. I. ait Callimachum dixisse, Tuscos, Camillũ appellasse Mercurium: quo vocabulo significabant præministrum deorum. Vnde apud Virgiliũ Camilla appellatur, Dianæ scilicet præministra. Romanos quoque, pueros puellásue nobiles, & inuestes, Camillos, & Camillas appellasse, Flaminicarum &
" Flaminum præministros. Nec non Seruius in libr XI. Æ-
" neidos. Camilla, ait, quasi ministra dicta est Ministros enim
" & ministras impuberes, Camillos & Camillas in sacris vo-
" cabant. Vnde & Mercurius, Hetrusca lingua, Camillus dicitur, quasi minister Deorum. Et vt symbolam quoque Greci auctores ad huius vocabuli explicationem conferant, Dionysius Halicar. lib. II. Antiquitat. ex Romuli institutis, sacra quædam per mulieres celebrata, memorat: in eiusque ministerii societatem etiam liberos vocatos. Orbis vero, & prole carentibus concessum, ex quaque tribu puerum, & puellam eleganti forma optare ac seligere, quò sacris ministrarent: puer quidem donec pubertatis annos attigisset: puella vero donec nupsisset. Idem adiicit, quo munere apud Hetruscos, & antea apud Pelasgos in Curetum, & maiorum gentium Deorum mysteriis fungebantur, qui ab iis κάδωλοι vocabantur: eodẽ functos apud Romanos, qui Camilli vocabantur: Sed & Plutarchus in Numa. τὸν ὑπηρετοῦντα τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς ἀμφιθαλῆ παῖδα Camillum dici tradit ὥς ait, καὶ τὸν Ἑρμῆν οὕτως τῶν Ἑλλήνων κάμιλλον ἀπὸ τῆς διακονίας προσηγόρευον. Quæ cò pluribus, vt senescentis iam vocabuli, vetustate pæ-

ne obliteratam significationem excitarem. Quinetiam asses tres ad maritum nubentes deferebant, vt apud Noniū Marcellum Varro scribit, quorum vnum quem in manu tenebāt tamquam ementi marito dare, alium quem in pede habebāt in foco Larium familiarium ponere: Tertium in sacciperio in compito vicinali resignare solebant. Atque eo quem supra descripsi comitatu, nubentes ad mariti ædes accedebant. Ædium porrò fores floribus, & frondibus ornari consueuerant. Vnde Catullus in carmine de nuptiis Pelei.

Vestibulum vt molli velatum fronde vireret

Iuuenalis Satyra VI.

Longa per angustos figamus pulpita vicos
Ornentur postes & grandi ianua lauro.

Lauro quippe postes ornare tam in publicis quàm priuatis gaudiis moris erat. Tertullia. Apologet. cap. XXXV. O nos merito damnandos. Cur enim vota & gaudia Cæsarum casti & sobrii, & probi expungimus? Cur die læto non laureis « postes obumbramus? Plinius lib. XV. Natur. histor. cap vlt. « Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratissima domibus, ianitrix Cæsarum, Pontificumque sola, & domos exornat & « ante limina excubat, Latinus Pacat. in Panegyr. Theodos. de « publica quadam congratulatione tractans. Quid portas, ait, virentibus sertis coronatas, quid aulæis tardantes plateas, « accensisque funalibus auctum diem? Rutilius Claud. Itine- « rarii li. I.

Festa dies pridémque meos dignata parentes
Poste coronato vota secunda colat.
Exornent virides communia gaudia rami.

Ex hoc vero more, Iuuenalis de muliere statim post nuptias diuertente, dixit.

Ornatas paulò ante fores, pendentia liquit
Vela domus & adhuc virides in limine ramos.

Statius Papin. lib. I. Syluar.

Fronde virent postes, & feruent compita flammis.

Claudianus lib. II. de raptu Proserpinæ, quo apparatu, ea in thalamos Plutonis veniens excepta sit, narrans

Pars, inquit, aulæas tenent, alij prætexere ramis
Limina.

Enimuero prò foribus ædium mariti, interrogatæ nubentes quænam essent, Caias se esse respondebat. Hoc ita auctor Epitomes lib. x. Valerii Max scribit. Cæterum Caia vsu super omnes celebrata est Fertur enim Caiam Cæciliam. Tarquinii Prisci regis vxorem optimam lanificam fuisse. Et ideo institutum fuit, vt nouæ nuptæ ante ianuam mariti interrogatæ quænam vocarentur, Caiam esse se dicerent. Plutarch⁹ plane ἐν αἰτίοις eos qui nubentem introducerent ei verba hęc suggessisse testis est, Vbi tu Caius ego Caia Quorum verborum cum esse sen u n quidam existimabant: vbi tu dominus & paterfa. ego domina & m aterfa. vt quemadmodum Iureconsulti, in exemplis proponendis Caii Seii, & Lucii Titii: Philosophi vero Theonis & Dionis nomina vsurpant, ita & in nuptialibus his cerimoniis, nomē Caiæ exempli causa fuerit vsitatum. Aliis, Caiæ Cæcilæ nomini, quod ominis boni causa, vt iam ex Sex. Pomp. docuimus, nubentes frequentabant, morem hunc accepto ferendum esse magis placebat.

» Certe Iureconsultos ridendi ea res Marco Tullio argumen-
» tum præbuit in Oratio. pro Muræna, Vt Caia, ait, quia in ali-
» cuius libris, exempli causa id nomen inuenerant, putarunt
» omnes mulieres, quæ coëmptionem facerent, Caias vocari.
» Quintilianus lib. I. Cap. vii. Nam & Caius C. litera nota-
» tur, quæ inuersa mulierem declarat: quia tam Caias vocitatas esse quam Caios ex nuptialibus factis apparet. Sanè de hoc veteri nuptiarum ritu quo auspicibus adhibitis Caius
» Caiam ducebat idem fere Velius longus, Non magis, inquit
» in numero literarum esse oportet (de litera Ꝁ loquitur) quā illam noctem 7. qua centuria, & quàm, conuersum quo Caia significatur: quod notæ genus videmus in monumentis, cùm quis libertus mulieris ostenditur. Caias enim generaliter auspices (ita enim lego non, aspicis) omnes mulieres accipere voluerunt. Postes verò ianuæ lana tangi à nubentibus adipeque vngi & oblini consueuerāt. Vnde vxores quasi vnxores dictas Grammaticis placet. Plinius lib. xxix. Natur. hist. cap. II. Lanis auctoritatem veteres Romani etiam religiosam habuere, postes à nubentibus his attingi iubentes. Ex quo illud Lucani nuptiarum quandam festiuitatem describentis, lib. II. de bello Phars.

Infulaq;

Insuláque in geminos discurrit candida postes.

Plutarchus ἐν αἰτίοις, de noua nupta loquens ἰοῦσαν δὲ, ait, τὴν θύραν περιστέφειν τοῦ ἀνδρός Vnde bella sumi potest occasio emẽdandi Pliniani illius loci, vt pro attingi legamus, ea cingi iubentes. quod est περιστέψαι. Donatus in II. sce. Hecyr. Terentii. Vxor dicitur ab vngendis postibus, & figẽda lana, id est, quod cum puellæ nuberent, maritorum postes vngebant, ibique lanam figebant. Seruius in IIII. Æneidos Moris, ait, fuit vt nubẽtes puellę simul ac venissẽt ad limẽ mariti, postes antequam ingrederentur ornarent laneis vittis, & oleo vngerent: & ideo vxores dictæ quasi vnxores. Quæ verba, vt alia pleraque Isidorus suppresso auctoris nomine, in suam Etymologiarum farraginem transcripsit. Quod vero ad vnctionẽ attinet, Plinius libr. XXVIII. cap. IX. nouas nuptas adipe [a] lupino postes inungere solitas, ne quid mali medicamẽti inferretur scribit. Inde Arnobius lib. III. aduersus gentes. O egregia numinum, ac singularis interpretatio potestatum. Nisi postes virorum adipali vnguine oblinerentur ab sponsis, & quæ sequuntur: vbi etiam vnxionibus iis deam Vnxiam præfuisse scribit. Quod cognomẽ antiquitatem Iunoni indidisse Martianus Felix libr. II. docet, in quo Philologia his verbis Iunonẽ affatur. Cum nihil contagionis corporeæ sexu intemerata pertulerim, Iterducam & Domiducam Vnxiam, Cinxiam, mortales puellæ debent in nuptias conuocare, vt earum & itinera protegas, & in optatas domos ducas & cum postes vngent, faustum omen adfigas. Vnctione peracta, noua nupta limen ianuæ transilibat, eóque modo in ædes inducebantur. Religioni quippe habebãt, si in transgrediendo mulier limen contigisset. Vnde Catul. in Carmine de nuptiis Iul. & Manl.

[a] lib. ix. cap. vlt.

Transfer, omine cum bono,
Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.

Lucanus lib. II. de bello Pharsal.

Turritaque premens frontem matrona corona
Translata vitat contingere limina planta

Plutarch. ἐν αἰτίοις, huius moris causas perquirens. Διά τι, ait, τὴν γαμουμένην οὐκ ἐῶσιν αὐτὴν ὑπερβῆναι τὸν (sic enim lege

non τὴν) ὁδὸν τῆς οἰκίας, ἀλλ' ὑπεραίρουσιν οἱ προπέμποντες. Cuius rei tres rationes adfert. Vnam quod Sabinæ à Romanis raptæ, eodem genere ac modo sint in ædes introductæ. Hoc enim valent ea verba. πότερον ὅτι τὰς πρώτας γυναῖκας ἁρπάσαντες οὕτως εἰσήνεγκαν· αὐταὶ δὲ οὐκ (ita enim veteres codices recte habent) εἰσῆλθον. Quam rationem idem auctor probat in Romulo, his verbis. Διαμένει δὲ μέχρι νῦν τὸ τὴν νύμφην αὐτὴν ἀφ' ἑαυτῆς μὴ ὑπερβαίνειν τὸν οὐδὸν εἰς τὸ δωμάτιον, ἀλλ' αἰρομένην εἰσφέρεσθαι, διὰ τὸ καὶ τότε κομισθῆναι βιασθείσας, μὴ εἰσελθεῖν. Secundam huius obseruationis rationem idem auctor reddit, quod in eum locum in quo pudicitiam essent amissuræ, quodammodo inuitas & nolentes ingredi, virginali pudori consentaneum esset. Addit & tertiam, vt quas coacta ingressa esset ædes, eas non nisi inuitam eam egressuram ominarentur. Cuius rei demonstrandæ causa, in Bœotia currus axem pro foribus comburi solitum narrat, ἐμφαίνοντας, ait, δεῖν τὴν νύμφην ἐμμένειν: (nam ita legendum, non vt vulgo perperam ἐμβαίνειν, non modo scripti codices sed & Latina versio docent) ὡς ἂν ἀνῃρημένου τοῦ ἀπάξοντος. Varroni autẽ placuisse Seruius in v i i. Virgilii Eclog. auctor est, ideo sponsas limen nõ tetigisse, vt ne à sacrilegio inchoarent, si depositura virginitatẽ calcarent rẽ Vestæ id est, numini castissimo consecratam. At Isidorus lib. ix. Etymolog. cap. vlt. nouas nuptas limen calcare vetitas tradit, quod illic ianuæ & coëant & separentur. Secundum quæ apud Plautum, Casina suspenso gressu limẽ transgredi admonetur.

Sensim, ait, super atolle limen pedes noua nupta
Sospes iter incipe hoc, vt viro tuo sim er sis superstes.

Iam ingredienti nuptæ claues dabantur ad significandam quemadmodum Sex. Pomp. explicat, partus facilitatem: vel quod magis est, vt significaretur ei rerũ omniũ domesticarũ, quæ clauibus cõcludi solẽt, cura ac custodia, tota denique domus ac rei familiaris à viro quæsitæ administratio, dispẽsatioque permitti. Nam & ex diuertio cum illi nuntius remittebatur, claues adimebantur vt Cicero ii. in Anton. Oratio indicat, Mimam, inquiens, exegit, claues ademit, res suas sibi habere iussit ex xii. Quem locum belle ac feliciter Petr. Victor. restituit. Atque adeo ἐκ τῆς κλειδῶν ἀποβολῆς viro

vxorem repudiare Romulus concessit, vt Plutarch. in eius vita auctor est. quod cum nouus Plutarchi interpres Xylander non intelligeret παίδων pro κλειδῶν emendandum putauit reiecta veteri versione. Hoc amplius, vt reliqua persequamur, in pelle lanata, quemadmodum à Sex. Pomp. traditur, noua nupta statuebatur, vel propter morem vetustũ quo antiquitus homines pellibus erãt induti, vel quò testaretur se lanificii officiũ viro præstaturã. Et hoc est quod Plutarch. ἐν αἰτίαις, ait, τὴν νύμφην εἰσαγαγόντες, νάκος ὑποστρωννύουσι. Siquidẽ νάκος interprete Suida ἔνεστιν χορίσμα significat ἤτοι δέρμα προβάτων & Hesichi⁹ vocem νακέσι, δέρμασι προβάτων valere scribit. Sed & aqua & ignis nuptiarum solemnibus adhiberi cõsueuerant. Hinc Scæuola noster. Dic, inquit,[a] nuptiarũ priusquam ad virum transiret. & priusquam aqua & igni acciperetur. Sic enim rectius in Florentino Codice, quam vt in aliis, Aqua & ignis acciperetur, scriptũ esse Seruius hunc quoque morẽ referens cõprobat, ad illũ ex IIII. Æneid. versum. [a] Penult. D. de donat. inter vir.

Dant signum: fulsere ignes, & conscius æther

Coniugii:

Vbi hæc Varronis verba ab eo recitantur. Aqua & igni mariti vxores accipiebant. Vnde & hodie faces prælucent & aqua petita de puro fonte per puerum felicissimum, vel puellam quæ interest nuptiis, de qua solebant nubentibus pedes lauari. Apud Sex. Pomp. aut potius Paulum qui eum in Epitomẽ infelicissime contraxit, lib. I verba hæc leguntur. Aqua, & igni interdici solet damnatis, quæ accipiunt nouæ nuptæ. videlicet quia hæ duæ res maxime vitam continẽt. Et iterum. Aqua aspergebatur noua nupta, siue vt pura castaque ad virum veniret, siue vt ignẽ & aquam cum viro cõmunicaret. Vnde illud patet quod paulo obscurius ab Herodiano lib. I. scriptũ fuerat, Commodum Marciani cõcubinã ita dilexisse & vxoris propè loco habuisse vt omnia illi velut Augustæ, prçter ignẽ indulgeret. Varro lib. IIII de lingua Latina. Igitur, ait, causa nascẽdi duplex, aqua & ignis. Ideo ea, in nuptiis in limine adhibentur, quod coniungit. hic & mas ignis quod ibi semen. aqua fœmina, quod fœtus ab humore & eorũ coniunctione sumit Venus. Quam Varronis rationẽ Plutarch⁹. ἐν αἰτίαις his verbis exposuit. Διὰ τί τὴν γαμουμένην ἅπτεσθαι

πυρὸς καὶ ὕδατος κελεύουσι. πότερον τούτων ὡς ἐν στοιχείοις καὶ ἀρχαῖς, τὸ μὲν ἄρρεν ἐστὶ τὸ δὲ θῆλυ, καὶ τὸ μὲν ἀρχῆς κινήσεως ἐνίησι, τὸ δὲ ὑποκειμένου καὶ ὕλης δύναμιν. Alias tamen ille huius moris rationes, quas commemorare nihil attinet, adfert. Illam vero quam ex Festo primum reddidimus, Ouidius lib. IIII. Fastor. amplexus est, cũ de aqua & igni agens, ita scribit.

An quod in his vitæ causa est, hæc perdidit exul
His noua fit coniunx, hæc duo magna putant?

At Dionysius Halicarnasse⁹, hui⁹ instituti originẽ à Romulo arcessit lib. II. Antiquitat. κατέλεξεν, ait, αὖθις ἐκ τῶν ἀγάμων ἄνδρας ἰσαρίθμους οἷς αὐτοὺς συνήρμοσε κατὰ τοὺς πατρίους ἑκάστης ἐθισμοὺς ἐπὶ κοινωνίᾳ πυρὸς καὶ ὕδατος ἐγγυῶν τοὺς γάμους ὡς καὶ μέχρι τῶν καθ' ὑμᾶς ἐπιμελοῦνται χρόνων. Accedat & Vorronis testimonium ex li. II. de vita pop. Ro. quod à Nonio Marcello refertur in verbo, Titionẽ & in verbo Felix, sed vtrubique ita corrupte vt inde sensus nullus elici posse videatur. Sic autem restituendũ censeo. Contra à nouo marito cum ignis è
" foco in titione ex felici arbore, & in aquali aqua allata esset.
" Quç verba ad hunc solemnem nuptiarum ritum perspicuum est pertinere, vt in titione id est, fuste ardẽte, ignem, in aquali quæ vox vas aquarium significat, aquam à nouo marito allatam significent. Hûc vero respiciens Statius Papin. in Epithalamio Stellæ & Violãtillæ, Musas ad eorum nuptias conuenientes, ignem & aquam gestantes facit.

Procul, ait, ecce canoro
Demigrant Helicone Deæ, quatiuntque nouena
Lampade sollemnem thalamis coëuntibus ignem.
Et de Pieriis vocalem fontibus vndam.

Ouid lib. II. de Arte aman.

Ista viri captent, si iam captanda putabunt
Quos faciet iustos ignis & vnda viros.

Valerius Flacc. lib. VIII. Argonauticor.

Inde vbi sacrificas cum coniuge venit ad aras
Æsonides, vnáque adeunt, pariterque precati
Incipiunt, ignem Pollux, vndamque iugalem
Prætulit.

Eôdem etiam respexisse videtur Claudianus lib. II. de raptu Proserp. cum ait,

Confessus socerum nimbis Hymenæus hiulcis
Intonat, & tristes firmant conubia flammæ.

Hic commodè, Cœnæ nuptialis, silentio minime prætermittendam mentionem subijci posse, & vero debere existimo: qua oppipare ac laute acceptos conuiuas fuisse, facile quis vel me tacente intelligeret. Plautus Curculio. Act. v. Sc. penult.

Tu vt hodie aduenięns cœnam des sororiam
Hic nuptialem cras dabit.

Rursus Sc. vlt.

Tu miles apud me cœnabis: hodie fient nuptiæ.

Vnde Dauus ille Terentianus nuptias non futuras coniectat, quòd nullus ciborum apparatus instrui videat qualis in nuptiis solet, nullam turbam introire aut exire videat, in ædibus nihil ornati, nihil tumulti. præterea quod & puerum Chremis conuenerit holera & pisciculos minutos ferentem obolo in cœnam seni.

Cicero lib. II. Epist. ad Q. fr. Pridie idus hęc scripsi ante lucem. Eo die apud Pomponium in eius nuptiis eram cœnaturus. Iuuenalis Sat. VI.

Ducendi nulla videtur
Causa, nec est quare cœnam, & mustacia perdas.

Sueton. in Calig. cap. XXV. Alij tradunt adhibitum cœnæ nuptiali mandasse ad Pisonem contrà accumbentem. Noli vxorem meam premere. statimque è conuiuio abduxisse eam secum. Auson. in Epist. ad Paulin.

Natalis si forte fuit sollemnis amico
Coniugióque dapes, aut sacra Repotia patrum.

Has epulas geniales, Claudianus lib. II. de Raptu Proserp. vocat. Extat vtique in Symposiac. Plutarchi caput, quo tractatur Διά τι πλείστους ἐν γάμοις ἐπὶ τὸ δεῖπνον καλοῦσι. Leges sane sumptuarias, quibus efferuescens Romanorum luxuriæ æstus coercebatur, nuptiis aliquid indulsisse, & de præscripta victus ac cœnarum tenuitate remisisse accepimus. Lex siquidem Licinia cum in certos quosdam dies centenos æris impendi permisisset, nuptiis ducenos indulsit. Lex vero Iulia quæ ad populum Cęsare Augusto imperante peruenit, profestis diebus ducentos finiit, Calendis, Idibus, Nonis & aliis

quibusdam festiuis, trecentos. Nuptiis autem & Repotiis H. S. milies esse concessit, quemadmodum Gellius lib. II. cap. XXIIII. refert. Vt autem nuptiis apud virum cœnabatur, ita sponsaliorum nomine conuiuium præberi sponso à puellæ parentibus consueuisse, non male mihi videor ex his Ciceronis verbis conicere quę sunt lib. II. Epist. ad Q. Fratrem Ad
„ VIII. Idus April. sponsalia Crassipedi præbui. Huic conuiuio
„ puer optimus Quintus tuus, meusque, quod perleuiter com-
„ motus fuerat, defuit. Satagebant profectò veteres vt quàm maxima populi frequentia, celeberrimoque, prout ipsi loquebantur, officio nuptæ deducerentur. Sueto. in Calig. cap.
„ XXV. Liuiam Horestillam C. Pisoni nubentem, cum ad officiũ
„ & ipse venisset, ad se deduci imperauit. Idem in Nero. cap.
„ XXVIII. de Sporo agẽs, Cum dote, ait, & flammeo per sollem-
„ ne nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se pro vxore habuit. Quintilianus Declamatio. CCCVI. Aspice illam vir-
„ ginem quam pater tradidit, euntem die celebri comitante populo. Officii causa amicis adesse in huiusmodi celebritatibus veteres solebant Plin. Epist. 9. lib. I. Nam si quem interroges hodie quid egisti? Respondet officio togę virilis interfui, spõsalia aut nuptias frequẽtaui. Tertull. in lib. de Idololatria. Circa officia vero priuatarũ & communiũ sollemnitatum vt togæ purę, vt sponsalium, vt nuptialium, vt nominalium nullum putem periculum obseruari de flatu idololatriæ quæ interuenit. Causæ enim sunt considerandæ quibus præstatur officium. Eas mundas esse opinor per semetipsas quia neque vestitus virilis, neque anulus aut coniunctio maritalis de alicuius idoli honore descendit. Iuuenal. sat. 2.

Quæ causa officij? quid quæris? nubit amicus
Nec multos adhibet.

Eaque ratione feriis publicis & festis diebus virgines contra atq; viduas minimè nupsisse Plut. ἐν αἰτίοις, scribit, ὅτι τοῖς μὲν παρθένοις καλὸν μὴ ὀλίγων, ταῖς δὲ χήραις αἰσχρὸν πολλῶν ὄντων γαμεῖσθαι. Enimuero Carthagini maritis nouis multa fuisse conuiuia obeunda, se. I, & sportulas ciuibus erogandas, Apuleius Apologia pro se ipso secunda indicat. Quorum sumptuum molestiis vt supersederet, in suburbana se villa potius quàm in oppido vxorem duxisse profitetur. Tibiam vtique

nuptialibus festiuitatibus interuenisse, non pauci auctorum loci declarant. Plaut. Casina. Age tibicen dum illam educunt hûc nouam nuptam foras.

Suaui cantu concelebra hanc plateolam.

Terentius Adelph. Act. 6. Sc. VII.

Verum hoc mihi mora est.

Tibicina & Hymenæum qui cantent.

Et mox.

Missa hæc face

Hymenæum, turbam, lampadas, tibicinas.

Cicero aut Cornificius lib. IIII. Rethoricor. ad Herenn. De parte eius matrimonij commouebant? (aut, vt aliàs, commonebant) Nam hic omnis sanctimonia nuptiarum, vno signo tibiarum intelligitur. Apuleius lib. IIII. de Asino aur. Iam feralium nuptiarum miserimæ virgini Choragium struitur. Iam tedæ lumen atræ fuliginis cinerem arcessit, & sonus tibię zygiæ (ea enim recta est, quam & Beroaldus amplectitur lectio) mutatur in querulum Lydij modum. Claudianus in Epithalamio.

Dicant peruigiles carmina tibiæ.

Præterea Talassionem in nuptiis Romanos non secus atque Græcos Hymenæum inclamare consueuisse sciendum est. Vnde Martial. Epigr LXIIII.

Quid si me iubeas Talassionem

Verbis dicere non Talassionis.

Idem lib. XII. Epigrammat.

Nec tua defuerant verba Talasse tibi.

Hymenæos autem à Græcis in nuptiis occini moris fuisse apud Græcos quum ἀφθόνιαν ποσάδος (sic enim legendum videtur) καὶ ὅμοιον συζυγίαν Hymenæi viri Argiui precabantur, ostendit Tzetzes in historico extremo.

Quam acclamationem ex eo inoleuisse, Liuius lib. I. auctor est, & inde repetitur in libello virorum illustr. quod in Sabinarum raptu, virgo vna longe ante alias specie & pulchritudine insignis à globo cuiusdam Talassij rapta fuerit: multisq; sciscitantibus cuinam eam ferrent deducendam, ne quis violaret, Talassio eam ferri clamitatum. Qua de causa vocem hanc nuptialem factam, & ad posteros inde manasse Plutar-

chus quoque in Romulo, idem in Pompeio & in Αἰτίοις libro censet. Eusebius etiam in Cronico secundum B. Hieronymi versionem. Sabinæ, ait, raptæ anno ab vrbe condita tertio, & vna virginum pulcherrima, cunctorum acclamatione rapientium Talassio duci Romuli decernitur. Vnde in nuptiarum sollemnitatibus, Talassio vulgo acclamitant, quò scilicet talis nupta sit, quæ Talassium habere mereatur. Hanc eãdem acclamationis huius nuptialis rationem Seruio quoque placuisse video, qui superioribus consentit ad eum versum lib. I. Æneid.

Pergama cum peteret inconcessosque Hymenæos.

Nonnullis tamen, ad lanificium vocis huius originem causamque referendam esse, videbatur. Qua in sententia Varronem fuisse Sex. Pomp. testatur, Talassionem, inquiens, Varro ait signum esse lanificij. Talassionem enim vocabant quasillum qui alio modo appellatur calathus: vas vtique lanificijs aptum. Itaque Plutarch. ἐν αἰτίοις inter ceteras decantati in nuptiis Talassionis rationes hanc primo loco ponit. πότερον ἀπὸ τῆς ταλασίας. καὶ γὰρ τὸν τάλαρον ταλάσινα vel ταλάσιον. ὀνομάζουσι. Quæ verba concilius quam par esset interpres ita conuertit. An propter lanificium quod quasillum vocatur? Plenius quippe ita verti debuit. An à lanificio? Etenim calathum Talassium nominant. Sed quid quæso sonat dictio τάλαντον? Equidem Romanam eam fuisse vel Latio donatam nusquam reperi. Interpres eius loco, κυάσιλλον legisse videtur. Quæ quidem vox pura puta Latina est, vel ipso Seruio teste, qui in II. Eclog. Virgilij quem Græci κάλαθον vocant, Latine quasillum dici admonet: citatque illud Cicero. Philippic. At vero inter quasilla pendatur aurum. Sed ad Talassionis originem nequaquam vox ea accedit, ac ne adludit quidẽ. Sũt quibus pro τάλαντον, legẽdũ videatur κάλαθον. Quod probare non possum, tum quia Calathus vox Græca est, &, vt Eustath. in v. Iliad. IX. ac X. Odyss. scribit, ἀπὸ τῶν κάλων ἤτοι ξύλων κυκλοειδῶς θεέντων ἢ γηγενημένων nomen inuenit: Tum quia Talassionis origini non magis quam quasillum respondet. Ego vnius ad huius vulneris medelam Sex. Pompei opera vti nos posse censeo, qui in eo quem supra produxi loco, priscos Romanos quasillum Talassionem vocasse scribit: quod

tamen

tamen vocabulum vetustatis situ obrutum est. Ac proinde apud Plutarchum inepto ταλάντῳ nomine expuncto, ταλασιόνα vel ταλάσιον reponendum opinor. Necesse est enim si auctoris mentem sartam tectamque seruare volumus, ταλάρου vocem Græcam, Romana aliqua ex qua Talassionis vox fluxisse ac manasse sono ipso iudicetur, pensare: τάλαρος porrò & ταλάσια & ταλάσιος vocabula Græca sunt. Quorum posteriora duo valdè corruptè apud Suidam non quidem auctoris, sed librarij vitio exposita lector offendet. Illic enim ταλάσιον ἔργον ἡ ἱερουργιά, ταλασία ἱερουργία, ταλάσιος ἱερουργος vitiosissime definiuntur, quandoquidem ad lanificium non ad sacrificium hæ voces pertinēt. Ideoque, ἐριουργία & ἐριουργος pro recta interpretatione reponi debent. Quod Hesychius consultus satis comprobabit: Quamquam hic error manifestior est quàm vt cuiusquam auctoritate conuincendus sit. Plane inter της γυναικονιτιδος σκευή, ταλάρους καὶ καλάθους Pollux lib. v. Onomast. numerat. Notat & Hesychius κάλαθον. γυναικεῖον σκεῦος εἰς ἔριον παράθεσιν. significare. Sic apud Virgil. lib. VII. Æneid.

Non illa colo, calathisue Mineruæ
Fœmineas assueta manus.

Ouid. lib. II. fastor.

Ante torum calathi, lanaque mollis erat.

Aliàs, tam τάλαρος quam κάλαθος τυροκομικῶν significant, vt ex Polluce lib. I. cap. XI. & lib. VII. cap. X. & Eustathio in IIII. Iliad. liquet qui ταλάρου vocem inde deducit quod τάλας ἤγουν τλήμων εἴη περὶ τὸ αἴρειν τὰ ἐντιθέμενα. Inde apud Virgil. libr. III. Georgic. Seruus Calathos vasa ænea exponit quibus lac vel recens caseus in vrbem distrahitur. Ceterum, vt hunc locum cōcludam, lanificiis priscas matronas valde deditas fuisse, præcipuamque his curam & operam impendisse constat. In fœdere certe inter Roma. & Sabinos percusso lex hæc atque conditio dicta est, vt volentes nuptæ apud viros quibus coniunctæ erant, manerent, omnium operum ac munerum vacationem, præterquam lanificij habituræ, vt est à Plutar. in Romulo memoriæ proditum. Inde Iuuenalis Sat. VI. veterum mulierum continentiam ac temperantiam prædicans,

Et vellere, ait, Tusco

Vexatæ, duræque manus.

Cuius moris tot sunt à D. Tiraquello, altero nostri seculi Varrone in lib. de Legib. cōnubialib. congesta testimonia, vt multitu line sua lectorem pænè obruant.

Enimuero nuces à nouis maritis iaci & pueris spargi consueuisse indicant Catullus & Virgilius. Ille siquidem in carmine de nupt. Iul. & Manl.

Ne nuces, inquit, pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuces pueris iners
Concubine: satis diu
Lusisti nucibus.

Virgilius verò Ecloga. VIII.

Sparge marite nuces: iam deserit Hesperus Oetam.

De cuius moris causa, parum video inter veteres conuenisse. Varro quidem, teste Seruio ad eum Virgilij quē modo protuli, versum, spargendarum nucum hanc esse rationem putabat, vt Iouis omne (ita quippe legi rectius credo, quā omne matrimonium celebraretur: vt noua nupta matrona esset, sicut Iuno. Nam nuces in tutela erant Iouis. Vnde & iuglādes vocatæ, quasi Iouis glandes. Quod ab Isidoro quoque lib. XVII cap. VII. notandum est. Illud vulgare fuisse idem Varro tradiderat, idcirco sparsas nuces, vt a rapientibus pueris fieret strepitus, ne puellę vox virginitatem deponentis posset audiri. Aliis placuit ęa id gratia factum, vt se puerilibus omnibus ludis renunciare, & iuuenilia cuncta ludicra relinquere maritus eo indicio testaretur. Quo sensu Persius dixit,

Et nucibus facimus quæcumque relictis
Cum sapimus patruos.

At Plinius diuersam reddit, quintamque insuper perstringit huius moris rationem, lib XV. Natur. histor. cap XXII. Nu„ ces, ait, Iuglandes quamquam & ipse nuptialium Fescenni„ norum comites multum pineis minores vniuersitate, eadem „ portione, ampliores nucleo. Nec non & honor his naturæ „ peculiaris gemino protectis operimento, puluinati primum „ calicis, mox lignei putaminis. Quæ causa eas nuptiis fecit re„ ligiosas, tot modis fœtu munito. Quod est verisimilius quam

quia cadendo tripudium sonumue faciant. Nubentibus vti- "
que, prætextis depositis, à multitudine puerorum quos ad eã celebritatem frequentes conuenisse nemini dubium est, obscœna clamabantur, versusque mollicie ac lasciuia diffluentes, maxima, nec vlli reprehensioni obnoxia licentia occinebantur. Quos versus Fescenninos vocabant, siue quod ex vrbe Fescennina allati essent, siue quòd Fascinum arcere putabantur. Seruius in VII. Æneid. ad ea verba,

Hi Fescenninas acies.

Fescenninum scribit oppidum esse Campaniæ, vbi nuptialia carmina sunt inuenta. Seneca lib. IIII. Declamatio. de seruo loquens qui dominæ nupserat. Inter nuptias, inquit, & Fes- "
cenninis in crucem generi nostri iocabantur. His enim ver- "
sibus liberè & ilocaliter multa in sponsos, sponsasque iaciebantur. Catullus in Epithal. Iul. & Manl.

Ne diu taceat procax
Fescennina locutio.

Varro Agathone vt est apud Non. Marcellum. Pueri obscœnis verbis nouæ nuptulæ aures restaurãt vel potius returant. Quæ verba, quãtum cõiectura adsequi possũ, ad argumẽtum quo de agimus pertinebant. Martia. Capella li. IX. de nupt. Philolog. His Hymenæo diutius velut Fescennina quadam licentia personante, geminanteque crebrius. Seneca in Medæa Choro primo.

Hinc illinc iuuenes mittite carmina:
Festa dicax fundat conuitia Fescenninus.

Claudianus in Epithalamio.

Dicant peruigiles carmina tibiæ,
Permissisque iocis turba licentior,
Exultet tetricis libera legibus.

Ausonius in Parecbasi Centonis nuptialis. Hactenus castis auribus audiendum mysterium nuptiale ambitu loquendi, & circuitione velaui. Verũ quoniam Fescenninos amat celebritas nuptialis, verborũq; petulãtiã notus vetere institutio ludus admittit, cetera quoq; cubiculi & lectuli opera prodẽtur. Sidonius etiam lib. I. Epist. de nuptiis Ascelæ filię Perennis Aug. & Patricij ponderis agens, Igitur, ait, nunc in ista "
non modo personarum sed etiam ordinum partiumque "

lætitia, Transalpino tuo latere conducibilius visum, quippe cum hoc ipso tempore quo hæc mihi exarabantur, vix per omnia theatra, macella, prætoria, fora, tẽpla, gymnasia, talassia Fescẽninus explicaretur. Nam sic potius legendũ vt emẽdauit P. Pithœus. B Hieronym. in Epist. ad Demetr. de Vir-
" ginit. seruan. Quam habitura pronubam? Quo deducenda
" comitatu? Stridor Punicæ linguæ procacia tibi Fescennina
" cantabit, Idem in Epist. ad Gerontiam. Responde mihi carissima in Christo filia. inter ista nuptura es? Quem acceptura
" virũ? Cedo fugitiuum an pugnaturum? Quid vtrumque se-
" quatur intelligis: & Fescennino carmine terribilis tibi rauco
" sonitu buccina concrepabit, vt quas habeas pronubas, habeas forte lugentes. Erant autem Fescennini versus ioculares, incompositi, rudes, qui temere alternis iaciebantur.
Horatius lib. II. Epistol.

Fescennina per hunc inuecta licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit. Liuius lib. VII. Non sicut ante Fescennino versui similem, incompositum, temere ac rudem alternis iaciebant. Atque huius nominis versus in Pollionẽ scripsisse Augustum Macrobius li. II. Saturn. ca. IIII. auctor est. Intereà vero lectus nuptialis componebatur. Eum autem proprio nomine Genialem quasi generalem appellatum Seruius in VI. Æneid. ostendit: Geniales scribens eos proprie esse lectos qui puellis nubentibus sternuntur, dictosque ita à generandis liberis. Cicero pro Cluentio. Lectũ illum genialem quem biennio ante filię suæ nubenti strauer-
" rat, in eadem domo sibi ornari & sterni expulsa atque extur-
" bata filia iubet. Apuleius libr. x. de Asino aur. Et mulierem quam dixit propter multiforme scelus bestiis esse damnatã,
" meisque præclaris nuptiis destinatã, & torus nuptialis noster
" futurus accuratissimè desternebatur. Lectus Indica testudi-
" ne perlucidus, plumea cõgerie tumidus, veste serica floridus. Idem. lib. IX. Quæ suo pudore postposito tori genialis calcato fœdere larem mariti lupanari maculasset infamia. Toga vero sterni lectos & maritorum genios aduocari cõsueuisse, Arnobius lib. III. aduersus gentes mores vetustate obliteratos recensens, testis est. Et hinc fortasse sacri genium lecti Iuuenalis Sat. VI. dixit. Vestibus sane toros geniales contegi so-

litos significat Catullus his versibus,

Talibus amplificè vesti decorata figuris,
Puluinar complexa suo velabat amictu.

Sed & Lucanus,

Legitimaeq; faces, inquit, *gradibusq; adcliuis eburnus*
Stat torus, & picto vestes discriminat auro.

Etiam hoc addam quod nisi à B. Augustino non semel detectum esset, ac libens suppressissem, super Priapi fascinum nouam nuptam considere iussam. Quemadmodum ille lib. VII. de ciuitat. Dei. cap. XXIIII. ad si & apertius lib. VI. ca. IX. scribit his verbis. Sed quid hic dicam, cum ibi sit & Priapus nimis masculus. Super cuius immanissimum fascinum sedere noua nupta iubebatur, more honestissimo ac religiosissimo matronarum. Quam obscœnitatē perstringere credo Lactantium lib. I. de falsa religio. cap. XX. cum ait. Et Mutinus (vel vt quidam codices habent Tutinus,) in cuius sinu pudendo nubentes residēt, vt illarum pudicitiam prior Deus delibasse videatur. Ita quippe lego, non sicut vulgò scriptū est, deliberasse. Priapo vero vt ne quamuis fœda hæc veterū impietas intacta relinquatur, genitale membrum cum falce affingebant, quo & pueros & aues in hortis, quibus præesse credebatur, terreret. Virgilius in Copa.

Est tuguri custos armatus falce saligna
Sed non & vasto est inguine terribilis.

Tibullus Eleg. I.

Pomosusque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat vt sæua falce Priapus aues.

Columella lib. X.

Sed truncum forte dolatum
Terribilis membri, medio qui semper in horto
Inguinibus puero, prædoni falce minetur.

Auctor Priapeor.

Priape quod sis fascino tentus graui.

Et aliâs

Soles sacrum reuinctus pampino
Ruber sedere cum rubente fascino.

Pleni sunt testimoniorum, poetarum libri: quibus omissis, ad exitum festinans, quod superest expediam. Nuptam deinde

in lecto pronubas collocasse sciendum est. Donatus in Terētii Eunuch. ad ea verba.

Deindè eam in lecto collocarunt.

Verbum hoc, ait, propriū est, & adscribitur pronubis. Quo in significato verbum hoc in Catulli versibus quos statim proferam obseruandum est. Idem Donatus in I. Æneid. pronubas in obsequio nubentium fuisse tradit. Lampridius de Heliogabalo. Nupsit & coiit, vt & pronubā haberet. Claudianus de Raptu Proserp. lib. II. extremo,

Ducitur in thalamum virgo: stat pronuba iuxta
Stellantes nox picta sinus, tangensque cubile
Omina (Sic enim lego) *perpetuo genitalia fœdere sanxit.*

Ad huiusmodi autem officium spectatæ pudicitiæ mulieres & quæ vni dumtaxat viro nupsissent, adhibebantur: quò matrimonii perpetuitatem, quemadmodnm Sex. Pomp. auctor est, auspicarentur. Vnde Catullus in Carm. de nupt. Iul. & Manl.

Vos vnis senibus bonæ
Cognitæ benè feminæ
„ *Collocate puellulam.*

„ Tertul. in lib. qui exhortatio ad castitatē inscribitur. Monogamia apud Ethnicos in summo honore est, vt & virginibus legitimè nubentibus vniuira pronuba adhibeatur, & sic auspicii initium sit. Sed & B. Hieronym. in calce libri primi aduersus Iouinian. Vnicubas semper habuisse inter gentiles matronas decus merito dicit: per illasque solas fortunæ muliebri sacra fieri consueuisse. Eodemque libro quæ fuerit alienarum à religione nostra mulierum de secundis nuptiis opinio, multis exemplis accuratè conquisitis docet.

Atque sunt Nuptiarum, omnia quæ quidem non incuriose legendo veterum scripta obseruare, potui sollēnia. De quibus in genere apud Tacit. lib. XI. fit mentio, cum inquit. Cuncta nuptiarum sollemnia celebrat. Et lib. XXII. Necdum celebrare nuptiarum sollemnia audebant. Atque adeo apud Sid. Apollin. in extrema Epist. 5. lib. I. Sic etiam popam & nuptiarum celebritatem accipe in Theodos. & Valentinia. constitutione [a]. Ob eamque sollemnium multitudinem credo à Cicero. lib. VI. de Repub. dictum fuisse firmiter maio-

a in L. si donation C. de na..

res matrimonia ſtabilita eſſe voluiſſe. Quæ verba à Priſciano lib. xv. referuntur. Poſtridie vero nuptiarum apud nouũ maritum coenabatur,& quia quaſi inſtauraretur, redintegrareturque potatio, cum diem Repotia, Sex. Pomp. teſte, appellabant. Horatius lib. II. Sermo. Sat. II.

Ille repotia, natales, aliosue dierum
Feſtos albatus celebret.

Vbi Acro, Repotia, inquit, dicuntur Septimus dies quo noua ſolet nupta redire ad parentes ſuos. Sumptibus certè qui in eos dies fierent modũ legibus ſumptuariis ſtatutum Gellius li. II. cap. XXIIII. memorat. Meminit & Repotiorum Auſon. in eo Epiſtolæ ad Paulinum quem paulo antè rettuli loco. Hinc hodie que (etſi hoc erit fortaſſe durius: ſed tentemus, & luſiſſe putemus ſi nil ſit) in quibuſdam Aquitaniæ regionibus, cum diem qui nuptias conſequitur, Repentalia nominant, non tam à penitentia, quàm corrupta voce repetita potatione, quaſi Repotalia. Repotiorum certe vocabulo pro repetita & iterata crapula Apuleius Apolog. I. vſus eſt. A Græcis eum diem ἐπαύλια vocari Pollux lib. III. Onomaſt. teſtis eſt. Quo die nouæ nuptæ munera à cognatis & propinquis mittebantur. Eaque ſunt Nuptialia munera apud iureconſultos.[a] At apud Cicero. pro Cluentio Auito. & Apuleiũ lib. VI. de Aſino aur. Nuptialia dona ea accipienda ſunt, quæ ante contractas nuptias, mulieri à viro offerebantur. Poſtridie vero nuptiarum noua nupta libertatem auſpicans vxoriã in domo viri rem diuinam faciebat, vt eſt à Macrob lib I. Saturn. cap. XV. proditum. Sed & in nuptiis etiam Septimum diem inſtaurationem voti habuiſſe Donat. tradit in Phormio. Terent. Act. I. Sc. I. Atque hic huius libri finis eſto.

[a] in l I. præterea D. de tutel. & rat. diſt. l. tutor. ſecundũ §. vlt. D. de adminiſtra. tut.

FINIS.

INDEX RERVM NOTABILIVM, VERBORVM ET AVCTORVM CITATORVM AC EMENDATORUM quæ in B. Brissonij Selectarum ex iure ciuili Antiquitatum libris, & de Ritu nuptiarum libro singulari continentur.

A

B.

C.

D.

G.

H.

O.

Q.

R.

S.

Senatorius

FINIS.